



**Orthodoxa et erudita D. Joachimi Vadiani uiri clariss. Epistola,  
qua hanc explicat quæstionem, An corpus Christi propter  
coniunctionem cum uerbo inseparabilem, alienas à corpore  
conditiones sibi sumat? nostro sæculo perquam utilis &  
necessaria. : accesserunt huic D. Vigilii Martyris et Episcopi  
Tridentini libri V. pij & elegantes, quos ille ante mille annos  
contra Eutychen & alios hæreticos, parum pie de naturarum  
Christi proprietate & person[ae] unitate sentientes,  
conscriptis.**

<https://hdl.handle.net/1874/420548>

qee

# SORTHO

D O X A E T E R V D I T A D. I O A  
chimi Vadiani uiri clariss. Epistola, qua hanc  
explicat quæstionem, An corpus Christi propter  
coniunctionem cum uerbo inseparabilem, alie-  
nas à corpore conditiones sibi sumar. nostro sæ-  
culo perquam utilis & necessaria.

# ACCESSIONT HVIC

D. VIGILII MARTYRIS ET  
Episcopi Tridentini libri V. pñ & elegantes,  
quos ille ante mille annos contra Eutychen &  
alios hæreticos, parum pie de naturarum Christi  
proprietate & personæ unitate sentien-  
tes, conscripsit.

TIGVRI APVD CHRISTO=

phorum Froschouerum.

M. D. XXXIX.

# МОНТАЖ

А О Г А З А Н И Е  
заняло первое место в нынешнем  
году в СССР. Всего в стране  
было установлено более 1000  
мегаваттных генераторов.  
Все это было сделано в течение  
одного года.

СОЛНЧЕЧНЫЙ ЭЛЕКТРОЭНЕРГЕТИК  
важнейший фактор в развитии  
экономики нашей страны. Он  
является основой для дальнейшего  
развития промышленности и сельского  
 хозяйства. Всего в стране  
было установлено более 1000  
мегаваттных генераторов.  
Все это было сделано в течение  
одного года.

СОЛНЧЕЧНЫЙ ЭЛЕКТРОЭНЕРГЕТИК  
важнейший фактор в развитии  
экономики нашей страны. Он  
является основой для дальнейшего  
развития промышленности и сельского  
хозяйства. Всего в стране  
было установлено более 1000  
мегаваттных генераторов.  
Все это было сделано в течение  
одного года.

D. IOANNI TRAVER  
S ORHETIAE PRIMAE CLA-  
rissimo senatori, domino colendiss. Henrychus Bullin  
gerus gratiam & uitæ innocentiam optat à  
Deo patre per dominum & serua-  
torem nostrum Iesum  
Christum.



VERVNT VR hodie multi de er-  
roribus & concertationibus indies ma-  
gis magisq; adoleſcētibus, paucissimi de  
errorum conflictationumq; causis tollen-  
dis solliciti sunt: cum tamen sublatis mali causis, aut fal-  
tem recte cognitis, minus serpat malum & pauciores  
inuoluat. At philautia & studium affectuum, cœ-  
cum & ardens, quod in hominum ferme omnium pe-  
ccoribus imperitat, ægre sinut nos ad ueras mali causas  
peruenire, ipsaq; introspicere et examinare pentius.  
Hinc ergo est quod sine fine modoq; confundantur in-  
ter se hominum ingenia.

Constat omnino eos qui primū hodie locum occu- Papistæ.  
pant in ecclesia, episcopi & pastores populorum, pro  
anumi sententia atq; libidine imperitare, adhibitis in  
consilium avaritia ambitione & luxuria consultori-  
bus pejoribus. His enim seducti & occæcati uerbum dei  
unacā recte gubernandi uiuendiq; regulam audire con-

## HEINRYCHI BVLL.

temiunt, imò & Bosorides Balaamitas quosdam mere-  
cede iniquitatis coaducunt, qui synceræ ueritati male-  
dicant, & doctrinam & mores suos corruptissimos  
defendant, contra euangelicæ doctrinæ assertores.  
Iccirco cum adeo non auertatur à uia sua mala, ut &  
malitiam suam tueri cupiant & seipso malefaciendo  
superent, intonat contra ipsos magis magisq; tuba uer-  
bi dei, et sœuius incrudescit pugna. Quod si isti darent  
gloriam deo, si uerbum dei audirent, & ab erroribus  
ac malitia sua conuerterentur ad ueritatem & synce-  
ritatem, minus esset in ecclesia cōcertationis & plus  
sacrosanctæ pacis: nunc autem per illorum impene-  
tentiam & pugna & scandala reparatur. Væ autem  
illis per quos offendicula uenunt.

**E**uangelici  
impuri. Sunt alij qui uerbum dei quidem audiunt, sed affea-  
ctibus suis interim renūciare nolunt, nescientes se præ-  
dicatione euāgelica uocatos esse ad sanctimoniam non  
ad immunditiam. Hi impatienter ferunt increpatio-  
nem seruorum dei, accusam ferociam ecclesiastarum  
& queruntur de petulantia linguarum ipsorum. Non  
displacet nobis euangelium Christi, inquiunt, displacet  
autem illa obiurgandi constantia & improbitas, lenta-  
tatem euangelicam in illis requirimus. Contra uero  
concionatores sacri illud domini ex ore Iſaiæ intonant  
ac dicunt: Populus iſte eſt rebellis & filij mendacis, fi-  
lij qui renuent audire legem dominu. Nam dicunt pro-  
phetis

AD TRAVERSVM EPIST. 3

phetis, Nolite uidere: & episcopis, Nolite nobis recta  
prospicere: sed loquimini nobis blāda, uidete errores.  
Recedite à uia, declinate à semita ista, & amouete à  
facie nostra sanctum Israelis. Incrudescit ergo pugna,  
que facile dirimeretur si scelerata cohors illud intelli-  
geret, primum uenisse filium dei in mundum ut ope-  
ra diaboli dissoluat: deinde prophetis à domino in hæc  
uerba prescriptū esse, Clama intentissime, ne cessauer-  
is, exalta uocem tuam sicuti tubam, & annūcia popu-  
lo meo iniquitatem eorum, & domui Jacob peccatum  
eorum. Quia uero mundum & carnem querimus om-  
nes, & nemo & quius fert si durius contrectes ulcera-  
sua, concionatores interim nec uelint nec debeant sca-  
biem saniosam palpare, ideo certamen per malitiam  
nostrā gliscit quotidie, & manet pugna, manebitq; do  
nec dominus uel fideles doctores ad se uocarit, ut rebel-  
les nos propediem totos excindat, uel à uia suā ma-  
la auertantur mali, erubescant de malo & faciant  
bonum.

Sunt rursus inter maxime euangelicos non pauci  
qui sua leuitate & inconstantia conflicitationibus præ-  
modum diuitem & copiosam suppeditant materiam,  
dum de religione nunc sic, iam uero aliter & sentiunt  
& loquuntur: non tam quod confessæ ueritatis poen-  
teat, aut quod sibi prauam opinionem prius tenuisse ui-  
deantur, quam quod uersibilitate illa sua, eos ita deme-

Vertumnī  
& incons-  
tantes.

## HEINRYCHI BVLL.

reri studeant, quos uel metuiunt uel nimis reverenter ac stolidi suspiciunt et adorant. Quod si posito meatu et nimia hominum obseruatione ipsum deum omnipotam ueritatem respiccerent, utiq; clamarent cum apostolo, Fidem nostram profitemur, non ut hominibus, sed deo placeamus, neq; querentes ex hominibus gloriam aut comodum, sed ut deo nos probemus, qui uocauit nos in sinceritate et ueritate. Atq; ita quoque plus esset pacis in ecclesia et minus scandalorum.

Supercilios  
et morosi

Videri uolunt alij quidam noua se, nescio quae, reperisse uidisseque, quae nullus ante ipsos uiderit. Hos quia gloria uexat inanis, mirum quam alios omnes prae se contemnunt, mirum quanti sua uenditent, et quam de rebus aliorum calumniose, de suis uero gloriose et Thrasonice loquantur. Nolunt hi cum alijs quicquam habere commune, sua uolunt omnibus obtrudere: ergo quamuis alij non male sentiant, uel idem loquantur quod illi, alia interim figura dicendi utentes, huius tamen peculiare quiddam habere et sequi diuersum omnino uideri gaudent, homines ad schismata soeuendinati. His si rediret apostolus magno spiritu ac clamaret, Si qua igitur consolatio in Christo Iesu, si quod solatium dilectionis, si qua communio spiritus, si qua uiscera et commiserationes, complete meum gaudium, ut similiter affecti sitis, eandem charitatem habentes unanimes, idem sentientes, ne quid fiat per contena-

AD TRAVERSUM EPIST. 4

contentionem aut per inanem gloriam, sed per humili-  
tatem animi alium quisq; se præstantiorem existimet,  
ne sua quisq; spectetis, sed unusquisq; quæ sunt aliorū.  
Posset itaq; et his restitui pax, si acerbis et ulcerosis  
affectionibus suis renunciarent, et minus essent obstina-  
ces arrogantes et ceruicosi. Frustra uero de pace et  
concordia, uel querela uel sermo instituitur, frustra de  
mīq; conuenitur, nisi et praui huiusmodi affectus in  
animo compescantur.

Ex eodem fonte superbiæ inuidentiae et inanis ar- Anibaptist  
rogantisq; ostentationis illud quoq; erumpit, quod & pneuma  
nonnulli hodie simplicitatis apostolicae oblii, superci- tici.  
lium sibi sumunt philosophicum, aut si maiis pneuma-  
ticum, et nouum quoddam inducunt genus dicendi do-  
cendiue de Christo domino. Spiritum enim sibi arro-  
gant principalem expolitum altum intensum et pro-  
fundum, nec aliud sibi quam mera oracula loqui uiden-  
tur. Et reperit quidem suum patella cooperculum, ho-  
mines leues et curiosos, qui ad metaphysica et pneu-  
matica illorū phantasmatā, tanq; ad doctrinam ē ter-  
tio celo allatam, obfuscescunt. His si quis prædicet Ie-  
sum Christum uerum deum et hominem, sicut prædi-  
carunt apostoli, incarnatum, passum, crucifixum, mor-  
tuum et sepultum, tertia die resuscitatum, et in cœ-  
los post quadragesinta dies receptum esse, atq; ibi illum  
retinere depositum carnis nostræ aliquando in gloriam

## HEINRYCHI BULL.

quoq; resuscitandæ, cum ille sit frater noster uita &  
resurrectio nostra, sacerdos et intercessor noster apud  
patrem in cœlis, non uideberis loquutus satis alte inten-  
tione subtiliter & spiritualiter de Christi mysterio.  
Habent enim illi magis deifica & inuoluta arcana de  
carne Christi: quibus interim stolidos auditores non  
explicant sed inuolunt, ut tandem quid Christus sit,  
aut quæ spes nostra sit, nesciant, amittentes Christum  
in suis illis subtilitatibus uanis.

*Cur hæc se-  
dita sint.* Atq; ex his maxime & similibus causis ne omnes  
persequar, oriuntur hodie schismata & dissensiones  
in ecclesia, nec spes est fore ut componantur, nisi prius  
affectus illi praui & petulantæ sopiantur. In primis  
autem obturbant simpliciores, officiunt ueritati &  
paci postremi illius generis pneumatici. Nam ignoran-  
tia & stulta rerum admiratio imponit simplicioribus.  
Non uident id quod isti tanta hypocrisi & testificatio-  
ne proferunt, antiquum esse diaboli præstigium, quo  
olim quoq; multorum oculos fascinavit. Ignorant hi  
istorias, non legunt scripta ueterum, qui & ipsi non im-  
feliciter tractarunt sacras literas, præsertim contra ha-  
reses, at hos illi, ino cōtumaciter contemnunt, ino hoc  
se credunt perfectiores quo cōstantius & præfractus  
contemnunt. Et ut sint maxime qui non contemnunt  
omnia, libris tamen carènt, nec otij sibi tantum tempo-  
risq; sumunt, ut ueterum quedam cognoscant uel per  
functorie:

AD TRAVERSUM EPIST. 5

functorie: præterea ignorant qui nam intanta turba  
maxime sint legendi. Et sunt quidem quos legisse non  
admodum profuerit. Ergo ut causæ disfidiorum erro=rumq; uel hac in re nō nihil tollantur, reddanturq; qui  
sibi consuli uolunt cautiōres porrò, et rectius iudi=cent de huīusmodi Sibyllæ folijs quæ non intelligentes  
stolidē admirantur, edidi orthodoxam illam D. Ioachi  
ni Vadiani epistolam, qua hanc explicat quæstionem,  
An corpus Christi propter cōunctionem cum uerbo  
inseparabile, alienas à corpore conditiones sibi sumat? In hac enim breuiter tractat quicquid de incarnatione  
dominicæ mysterio scire refert. Ac primum de con=unctione illa differit, quæ ex duarum naturarum ueri=tate personam Christi cōstituit. Deinde de conditionib;  
bus disputat, quas sustinuit assumptio illa in Christo an te resurrectione. Postremo de conditionib. scribit quas  
sibi sumpfit corpus Christi post resurrectionem. Inter texuit his præterea quæ de hisce capitib. prodiderunt tam orthodoxi ueteres quam hæretici male sentiētes.  
Adiunxi huic Epistolæ quinq; libros D. Vigiliū martyris et episcopi Tridentini, quos contra Eutychen in primis, dcnde aduersus alios quoq; hæreticos impie de Christo domino sentientes, conscripsit, et mirifice superiori argumento consonant. Pollicetur autē mihi certo, multo simplicius et purius de Christo domino et carne eius clarificata loquuturos, qui hactenus subtili

# HEINRYCHI BVL.

tates nescio quas nexerunt, postquam ista nostra dili-  
gentius cognouerint.

Auctores.

Non est aut ut quis hic expectet encomia et com-  
mendationem authorum. Vterque orbi notissimus est.  
Vtriusque pietas et eruditio libris aeditis testatissima  
est. Satius ergo esse uidebatur de uiris omnino maxi-  
mis silere, quam pauca dicere. Scripsit ille ad postula-  
tionem meam, pro incredibili illa humanitate sua et stu-  
dio erga me officiosissimo, Epistolam quam exhibeo, et  
quam ego solus, thesaurum uidelicet maximum, posse  
dare atque occupare nolui. Vigilius uero ante mille  
annos, suos illos contra Eutychen libros aeditit, mira  
breuitate et perspicuitate exponens et subuertens  
quicquid huius erat haereseos. Scripsere contra Euty-  
chen Leo antistes Romanus, et Gelasius eiusdem eca-  
clesiae episcopus: item in 3. lib. ad Trasimundum re-  
gem Fulgentius Aphor, uir in diuinis et humanis li-  
teris doctissimus: sed nemo, quod mihi uidetur, succin-  
ctius et melius scripsit Vigilio nostro, qui et erroneum  
Nestorij dogma non raro attingit et confutat, sed per  
functorie modo et in transcurso. Copiosiora, ut inter-  
rim Cyrilium non commemorem, quem alij in hac cau-  
sa numis acerbum fuisse credunt, dedit Maxentius Ioan-  
nes seruus dei, cuius extant ad Theophilum contra  
Nestorium duo Dialogorum libri non incruditi. At Vi-  
gilij huius nostri opus ante annos decem Tubinga im-  
pressum

AD TRAVERSUM EPIST. 6

pressum est, sed, ne quid dissimilem, parū diligēter & emendate. Diligentiam maiorem in hac nostra æditione commendabunt, qui ipsam contulerint cum æditione prima. Conscripsi præterea Vigiliū uitam, & singulis libris singula argumenta præfixi, annotatis simul rerum indicibus & capitibus ubiq;, ut quid spectaret Lector facilius pateret.

Tibi uero Trauerse clariſ. hoc opus hoc nomine in Trauerſus.  
scribo ac dedico, quod tua uirtus meretur celebrari commendariq; insigni aliquo scripto nedum apud posteros, qui ab optimis quibusq; prædicaris numinis & religionis obſeruantissimus, iudicij & iustitiae cultor æquus & diligens, atq; literarum ac studioſorum esse patronus unicus atq; fidelissimus. Dominus omnium populorum rex uoluit te unā cum alijs bonis pijs ac prudentibus uiris præesse genti generose et Staropūn fortissimæ, & per uos ueluti per patres patriæ Rhetiam illam liberam antiquissimam & potentissimam cnuare incolunem. Vocationis ergo uoluntatisq; dei memores, scitote non aliter seruari regna & gentes quam diligentia cultu religionis & iustitiae. Cæterum ut sine legibus iustitia periclitatur, ita sine Scholis trepidat religio. Vestrum ergo fuerit & leges sanctas tueri, & Scholas promouere, ut dominus sit uobiscum. Et fuit quidem hactenus uobiscū dominus, qui lumen uerbi sui apud uos accedit, & tudas Papisticas famosq;

H. BVL. AD TRAV. EPIST.

uanitatis extinxit ac dissipauit. Dedit uobis doctores  
fideles, qui Christum docuerunt pure & synceriter.  
Disturbauit consilia improba, & è manu inimicorum  
liberauit uos. Quod si perreveritis in pietate, si iustitia  
tiam colueritis, & sacra bonaq; studia promoueritis,  
ut coepistis, augebit uobis dona sua dominus, et felicissi-  
me habebit posteritas uestra Rhetica, laudabitq; maio-  
rum suorum, id est uestram fidem & diligentiam, qui  
labore & studio magno purgatam ipsis religionem de-  
deritis. Dominus Iesus seruac te nobis, imo totam illam  
Rhetiam, semper beatā & in columem. Saluum te uo-  
lūt symiste mei Leo, Megander, Er. Fabritius, Pellican-  
nus, Bibliander, ac reliqui fratres. Salutabis tu nobis  
D. Antonium Trauersum, & totam illam clariss. fa-  
miliam: in primis autem fidelissimos illos uerbi domi-  
nici ministros ac fratres, D. Ioan. Comandrum, Ioan.  
Blasium, Nicolaum Balingium, Rodulphum Salicem,  
Philippum Gallicum, & alios uiros bonos. Tiguri  
Mense Iulio. AN. M. D. XXXIX.

HEINRY<sup>7</sup>  
CHO BVLLINGE  
R. CLARISS. VRBIS TI-  
gurinæ Ecclesiastæ, Ioachimus Vadianus  
S. D.



VAESITVM ESSE ABS  
te, Bullingere, intelligo: An corpus  
Christi propter coniunctionē cum  
uerbo inseparabilē, sumat sibi alienas  
à corpore conditions &c. Ve-  
rum authorem ipsum qui id scire ex te cupit, nō  
intelligo, adeo nomen eius in literis reti-  
ces, tantum hoc efflagitans, ut quid hac ipsa dere-  
sentiam literis ad te meis bene longis per proximū  
Tabellarium significē. Quod sanè uel oc-  
cupatus & uarijs curis distractus faciendum rece-  
pi. Atq; ut ab ipso statim initio de summa quæ-  
stionis eam sententiam proferam, quæ & ueteri-  
bus & recentibus, qui modo catholicam scriptu-  
re regulā sunt sequuti, semper pientissima uisa  
est, dico: Coniunctionem illam, duarum natura-  
rum indubitate ueritate constantē, non alias con-  
ditiones & ante resurrectionem & post resurre-  
ctionem sumpsisse sibi, quam tales, quæ Christo  
ipsi pro naturarum substantia essent accōmoda-

D. IOACHIMI VADIANI

& alterutri naturæ propriæ, scripturarum etiam  
testimonijs in Christo assertæ & confirmatae. At  
uero, quoniam his uerbis quæstionē video pro-  
poni quæ ab arguto aliquo & Scholastico dispu-  
tatore ambagibus inuolui, & sensu alieno (ut no-  
stra sunt sæcula) distrahi atq; implicari possint: an  
te omnia milti sensus eruendus est certus, quæ in  
hac materia explicanda teneā, nec elabi ex oculis  
finam. Ne nobis accidat, quod multis, qui dum  
propositam aliquā argumenti rationem sequun-  
tur, nec attendunt alium atq; alium sensum uerba  
preferre, haud aliud efficiunt q; ut disputatione di-  
spirationē pariant, nec satient Lectorē uaria spe-  
ctant, sed ad ambigendum amplius instigent &  
prouocent: id quod ueteribus in rerum natura-  
lium, moraliumq; tractatione, magnarum dissen-  
tionum, nisi fallor, causam præbuit. His accedit  
quod hominum quorundam iudicio nihil delica-  
tius, nihil tenerius est. Et sunt interim qui maxi-  
mis ueritatis pestibus, inuidia scilicet & doctrinæ  
ostentatione corrupti, nihil non arrodunt & ca-  
lumniantur, sursum ac deorsum rapientes iactan-  
tesq; quæ candidissime sunt tractata, uidelicet ut  
seipso hoc modo suis doctrinæ persuasione com-  
mendent: nec permittant probe & uere dictum ui-  
deri, quod à se perperam dictis & scriptis diffen-  
tit & pugnat. Ut parum memorē quod in rebus  
per se difficilibus & obscuris nulla satis adhibe-  
ri diligentia potest, quæ facile omnem ambigui-  
tatem

tatem summoveat, lucemq; implicitis & recessu aliquo obscuris reddat: ut non uago & uacillante, sed certo libratoq; passu, illo quo tendimus per texisse uideri queamus. Sed enim ut dubijs in rebus nihil est incircumspecta & præpropera temere esse nequeunt, modo accurate tractentur, nihil magis scribentis nomen & dignitatem eleuat, quam si trepidare commentando, nec satis fidere sibi, præterea & fucare quædā & dissimulare nulla iusta causa deprehenditur.

Ad rem igitur institutam ut ueniamus. Dum quæritur: An corpus Christi proper coniunctio nem cum uerbo inseparabilem, sumat sibi alienas à corpore conditiones. Primum per Corpus Christi illud intelligo, quod ossibus, neruis, carne, & sanguine in utero uirgineo de spiritu sancto cōceptum & anima rationali creata uiuificatum, id est, uere humanum, & in momēto conceptionis simul ab eterno uerbo ita assumptum est, ut duabus ē naturis impermixtis et inuiolatis, nec separabilibus, unus dominus Christus Iesus dei & hominis filius factus sit, & in mundum genitus. Deinde per coniunctionem, hoc ipsum intellexi, quod Scholastici unionem, alijs mixtionem, communionem, societatem, uocant, ipsam scilicet connexionem & cohærentiam duarum naturalium personarum Christi constituentium. Et placeat mihi fateor coniunctionis uocabulum, cum eo

Explicatio terminorū.

Coniunctio

## D. IOACHIMI VADIANI

Vnio.  
Communio

Mixtio.

Conditiones  
sue propria-  
tes.

usum uideam Augustinum cum alibi tum in libro de Trinit. 13. ca. 19. Unionis enim & communionis uoces, si proprius consideres, parum fidet: licet & Augustinus alicubi unionis, Hilarius autem, & ab unionis & communionis & secretatis uocabulo non abhorreat. Nec enim unum sunt natura diuina & humana, sed duas res, & ita separatae, ut neutra de altera participet, sed proprietatem suam utraq; seorsim illesa custodiat. Unde consequitur longe minus mixtionis uocabulum, quo sanctus Irenaeus utitur, tuto ferri aut ad mitti posse. Et uoces quib. paulo ante sumus usi (connexionis scilicet & coharentiae) constat minus quadrare quam coniunctionis uocabulum. Postremo, cum queritur, An sumat sibi alienas a corpore conditiones &c. per corpus non quodlibet corpus sed humanum intelligo, quale est & ipsum Domini corpus, de quo queritur. Alioquin & naturalium corporum multae sunt conditiones & variæ longe ab humano corpore alienissimæ, quarum nihil attinet in praesentia meminiisse, cum solius humani corporis fiat mentio: nec aliæ conditiones intelliguntur quam quarum capax esse humanum corpus uideatur. Conditiones autem intelligo proprietates, seu ut planius loquar, habitum ipsum & statum corporis aliter atq; aliter habentis. Qui quidem bifariam accidere homini potest. Nam sunt quedam quæ naturaliter insunt corpori humano, partim communi-

## EPIST. ORTHODOXA.

9

nia ei cum reliquis animalibus, partim propria,  
nec nisi sui generis. Contra autem, quædam quæ  
supra & præter naturam sunt, illi induntur, ab al-  
tiore causa pendentia: quæ mox paulo enumera-  
bimus. Quin & Alienum esse, aut alienas esse à  
corpore conditiones, duplice sensu accipi potest.  
Vno, ut intelligamus tales corpori humano, nec  
inesse naturaliter, nec accidere naturali aliqua  
consequentia, sicut naturaliter accidunt homi-  
ni, esurire, sitiare, uigilare, dormire, &c. sed, ut di-  
xi, supra naturam accidere & à diuina pendere  
virtute. Altero, ut tales sint, quæ cum natura &  
substantia adeoq; cum ueritate corporis humani  
pugnant, nec sinat uere esse corpus hominis, ubi  
acciderint: ut cum dicimus, Simul esse in diuersis  
locis, conditionem esse, quæ cum natura & sub-  
stantia corporis quanti pugnet, & ideo alienam  
esse à corpore etiam humano, quoniam per eam  
ueritas corporis subuertatur & exinaniantur.

His ad hunc modum declaratis, hoc sentire *Quæstio.*  
questionem intelligo, An domini nostri Iesu cor-  
pus uere humanum, ea de causa alienas ab hu-  
mano corpore conditiones sibi sumat, quia con-  
fiter ipsum à uerbo æterno, in utero uirginis inse-  
parabili coniunctione assumptum esse? Nunc ut, *Partitio.*  
quod sentio apertissime & simplicissime dicam,  
paulò altius mihi ordiendum est. Ac primum  
quidem de coniunctione illa mihi dicendum  
est quæ ex duarum naturarum ueritate perso-

Alienum di-  
citur dupli-  
citer.

B

D. IOACHIMI VADIANI

nam Christi constituit. Deinde de conditionibus referam quas sustinuit assumptio illa in Christo ante resurrectionem. Postremo, de conditionibus, quas sibi sumpsit corpus Christi post resurrectionem.

**Protestatio.** In totum autem animus est, nihil prodere aut in medium afferre, domini praefidio, quam quod Canonis scripturis docetur & traditur, & sanctorum patrum assertione confirmatur. Mire enim abhorreo ab illorum confidentia, qui in id genus materijs explicandis seu campum aliquem floridum ingressi, in quo suppetenti rerum copia uires ingenij queant ostendare, nihil sibi non permittunt decernendo, rarissime interim adductis aut suo in sensu acceptis scripturis, multo autem saepius philosophorum placitis citatis, coniiciunt magis quam demonstrent aut probent, præterea præiudicatis perinde ut collatis, & ad uiuum (ut dicitur) reselectis, nituntur. Sunt autem qui non explicit modo quod explicandum proposuerunt, sed questionem mouent ex questione, & dubium dubio plicant, de multis nonnunquam dubitantes quæ certa nobis ratione constant, insuper & argutijs Dialecticis instructi, mira calliditate autorquent quo quicquam uolunt probare, aut eludent quod cum suis uicinib[us] receptis dissentit & pugnat.

**Coniunctio  
quæ ex dua  
ram natura** Verbum igitur æternum, quod deus uerus est, per quod omnia facta sunt, quod omnem hominem

nem uenientem in hunc mundum illuminat, & <sup>rum ueritas</sup>  
 (ut Petrus ait) è tenebris uocauit credentes in ad- <sup>te unā Chri-</sup>  
 mirabilem lucem suam, præsente iam temporis <sup>sti personā</sup>  
 plenitudine, carnē uere humanam, id est, ipsum  
 hominē ex anima creata, & corpore extra omnē  
 peccati labem in utero uirgīneo conceptum al-  
 sumpsit, & sic factum est caro, genito in mun-  
 dum & aedito Iesu Christo domino nostro: qui  
 quatenus deus erat, filius unigenitus ex sinu  
 partis descendit cum plenitudine gratiæ, scien-  
 tiæ, sapientiæ, & donorum omnium de quibus  
 accipiunt credentes in eum: quatenus autem ho-  
 mo erat, Filius hominis & primogenitus Mariæ,  
 in ea naturę integritate factus, ut cum nihil quod  
 est hominis à se alienum esset, tamen quia ipse ser-  
 uator & dominus hostia futurus esset pro pecca-  
 to, formam serui uolens & lubens, scilicet morta-  
 lem, iniurijsq; & ignominijs obnoxiam assū-  
 pisse, quo genus humanum peccato perditum,  
 ipse deus & homo, redēptionis nostræ sacra-  
 mēto tot legis victimis & sacrificijs adumbrato,  
 pleno dignoq; & sacerdotio & sacrificio perfice-  
 ret & consummaret. Simul nobis in omni humili-  
 litate, sapientia factus iustitiaq; & sanctificatio &  
 redēptio, ut qui gloriatur, non nisi in domino  
 Iesu glorietur. Quando igitur Ioannes dixit, Ver- Verbum ca-  
ro factum  
est.

bum caro factum est, & habitauit in nobis, uerbi  
 incarnationem simplicissima ueritate reddidit, &  
 licet sensum præ se ferant, quem immutabilis na-

D. IOACHIMI VADIANI

tura diminitatis non admittit, nidelicet quod ex ipso uerbo æterno caro hominis facta sit, aut diuina natura in humanam mutata sit &c. tamen ita cohæret scripturarum ueritas, ut cum alijs illius testimonijs collata pium sibi & catholicum sensum uendicent. Et nos non nisi assumptione & coniunctione naturæ humanæ cum diuina, utraq; natura illeſa & inuiolata, uerbum æternum factum esse carnem intelligamus. Non permittit enim communis sensus, nedum scripture authoritas, ut quod æternæ & immutabilis essentia est, in reūcreatæ & mutabilis naturâ & conditionem abire credi possit. Longe uero alienius à captu & pictate, dicere humanam naturam in diuinam abire, ut uideri debeat quod creatum est, in essentiam & substantiam creatoris immutabilem conuersum esse, quale quid Eutyches docere uisus est, cuius infra mentionem faciemus. Mixtio autem naturarum & confusio nisi nomen quidem permitteret naturis, nimirum corruptis & subuersis, ut nec deus uere Christus, nec uere homo dici posset, qui licet diuersis naturis constet unitate personæ contractis, tamen propter illeſam & inconfusam harum proprietatem, sicut

*Christus uere homo sit, uere deus est & dicitur. Proinde & tuus deus.*

Ioannes ueritatem naturæ diuinæ in Christo affirvens, Vnigenitus inquit filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et ipse dominus Matth. 16. agnoscit ueritatem responsi Apostolorum, ipsum esse

## EPIST. ORTHODOXA. 11

esse filium dei uiui affirmantium, insuper & hoc addens, carnis & sanguinis non esse eius rei cognitionem, sed reuelationis paternæ & cœlestis. Ita ipse Christus Ioan. 6. Panem se de cœlo uocat, quem uere tamen non edant, nisi à patre traxerit, seu, quod idem est, à deo docti. Item, ascensurum in cœlum ubi prius erat &c. Diuinae enim naturæ, non humanæ tribuitur in cœlo esse, & in cœlo fuisse, antequam in cœlum Christus ascenderit. Pari modo alicubi Iudæis respondens, Antequā inquit, Abraham fuit, ego sum &c. palā se deum esse indicans. Ut illa fileamus, quod patrem in se & se in patre esse, atq; unum quidem cum patre esse profitetur. Et ad Philippum patrē uidere cū pientem, Philippe, ait, qui uidet me, uidet & patrem &c. Contra sæpe ita in se hominis naturam afferit, ut palā sibi demat, & deo tribuat, ut Ioan. 7. Mea doctrina non est mea &c. Et Ioan. 11. Lazarum suscitaturus patrem rogat ut se exaudiatur. Matih. 24. & Actorum primo, soli patri tribuit cognitionem diei iudicij. Alibi autem nō semel, pairis uoluntatem (quæ uoluntas est Trinitatis) à sua ira se iungit, ut suam abneget & illam asserat quæ sit sequenda. Ut uoluntatum distinctionem, naturarum in Christo distinctione necessariο sequatur. Vere igitur deus & uere homo Christus dominus noster, id quod sanctissima illa & clarissimis scripturis conferta Epistola ad Hebreos abunde exponit.

Christus uer  
rus homo.

## D. IOACHIMI VADIANI

Inseparabilis  
lis coniunctio.

Recte autem coniunctio illa naturarum in Christo inseparabilis dicitur. Cum enim Sacramentum incarnationis rei sit æternæ, nempe uitæ celestis & immarcescibilis, fieri nequit quin & ipsa incarnatio uerbi semel facta in æternum duret. Christus enim hodie & heri idem est etiam in saecula, Hebr. 13. Sed & æternum Christi sacerdotium deus pater iuramento confirmavit, Psal. 109. Quod ipsum tamen negata in Christo corporis & carnis, id est humanæ naturæ ueritate, subsistere nequaquam posset.

Lex de his  
rebus disses-  
tendi.

Minime autem committendum est, in id genus mysterijs explicandis, ut aut uerbis liberius uti, aut causas remotores afferre pergamus, quarum non meminerit scriptura. Nihil enim periculosius est, q[uod] in fidei articulis, libertate uerborum & licentia definiendi (ut sic dicā) luxuriare, & ab scripto uerbi dei recedere. Quod ilii tamē faciunt, qui causas afferunt proximas incarnationis, & aegre indicat quo modo & medio uerbum carnis se unierit: qua in re iam latus caput sese quorundam conjecturis & cogitationibus apperuit, ut post scripturarum breuem & simplicem traditionem, post ueterum doctorum explicationem cum piam tum etiam mediocrem & uenerabundam, ipsi rotos libros hoc titulo inscriperint, Cur deus homo. Præterea de incarnatione domini. Cum Lombardus tamen Scholasticorum coryphæus, distinet. 2. lib. 3. Senten. doceat unionem illâ naturæ diuinæ

diuinæ cum humana inexplicabilem esse, iuxta il-  
lud Esaïæ ult. Generationem eius quis enarrabit? Tanto satius est his de rebus quam circum-  
spectissime & parcissime loqui, & intra scriptura-  
rum metas magna cura contineri, quam uerbis  
uti de nostro allatis, quæ arcanis illis & coelesti-  
bus rebus caliginem uerius, quam lucem ullam  
adhibeant.

Ioannes enim uelut renuens, quæ impium sit  
humanum animum scrutari, paucis & simplici-  
ter, Verbum inquit CARO factum est, & habi-  
tavit in nobis, & conspeximus gloriam eius, glo-  
riam uelut unigeniti à patre &c. Paulus autem  
idem intelligens, Gal. 4. Vbi inquit, uenit plenitu-  
do temporis, emisit deus filium suum, factum ex  
muliere, factum legi obnoxium &c. Quomodo  
uero factum ex muliere, si dei filius à deo emis-  
sus? Sanè, uerbum intelligit in mundum missum  
ex sinu patris & in uirginis utero hominem fa-  
ctum, hoc est, uerbum homini coniunctum,  
& sic natum in mundum Iesum Christum. Sicut,  
1. Tim. 1. ab eodem dictum est, Jesus Christus ue-  
nit in mundum, ut peccatores saluos facheret. Fa-  
ctum autem arbitror ab Apostolo dictum, quia  
dominus, non ex semine uiri, aut naturæ opere,  
sed uiru te altissimi in uirgine formatus fuerit,  
quemadmodum & primus Adam manu dei è li-  
mo terræ factus est. Nam & Luc. 2. cap. legitur,  
Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius

Simplicitis  
ma coniunc-  
tionis et in  
carnationis  
ratio.

31 D. IOACHIMI VADIANI

dei (de uirgine enim, Augustino teste, tantum generis non etiam criminis originem duxit dominus) quippe primum hominem in perfecto & integro naturæ suæ statu uirtute dei formatum & factum esse constat. Pari autem simplicitate utramq; naturam Christi indicans Apostolus 2. Corin. 5. Deus, inquit, erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata sua. Et ut ab omni peccati labore carnem eius liberam fuisse testarentur, eodem loco, Deus, inquit, eum qui nō nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia dei per illum. Porro & Isaias uerbi aduentum in hunc mundum ante ad umbrauerat & ipse brevibus & simplicibus uerbis de luce illa uictura testatus 45. ca. cum ait, Rotare cœli desuper & nubes pluant iustum, aperiat terra & germinet saluatorem & iustitia orietur simul. Ego dominus creaui eum &c. Quibus uerbis quantumuis brevibus & uerbi descensum è cœlo & humanitatis unionē de terra, nimis de utero uirginis parturiente, præterea & iustitiae originem, quæ per solum Christum est complexus est. Quod autem dixit, Ego dominus creaui eum: id dixit qd apostolus, Factum ex muliere, non genitum ordine naturæ. Nam ut primus Adam de terra creatus est nullo uiri semine: ita secundus Adam à deo creatus, id est, factus nullo uitri semine, in utero terreno, id est, humano immaculatae & æternum beatæ Mariæ uirginis, ut uere

hunc dominus Christum secundum terrenæ naturæ formam creauerit, sicut & ipse unigenitus uerbum æternum ab æterno genuit. Alio in loco idem Isaia de uerbi emissione loquutus breuius, Deus, inquit, ipse ueniet, tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum patebunt, Isa. 35. Vnde & à Petro Sanctus uocatur, qui præordinauit suerit ante conditum mundum, manifestatus autem extremis temporibus, propter nos qui per eum credimus in deum. Quos & carnis nostræ in se assumptæ sanctificatione purgatos gentem sanctam & sacerdotium sanctum effecit. Alibi quoq; idem apostolus in carne passum esse domum nostrum, inquit, ut innueret non nisi incarnatum pati mori q; pro nobis potuisse. Quod enim in Christo diuinum erat, nec morti per se, nec passioni erat obnoxium. Proinde qui peccatum non fecerat, neq; inuentus est dolus in ore illius, peccata nostra, docente Petro, ipse pertulit in corpore suo super lignum, quo peccatis mortui iustitiæ uiueremus. Pulchre igitur & pie dictum est ab Augustino lib. de Trinit. 13. de Christo in hæc uerba, Nascebatur non contagione transgressionis uiciaria natura, sed omnium talium uitiorum sola medicina: nascebatur, inquam, homo, nullum habens, nullum habiturus omnino peccatum, per quem renascerentur liberædi à peccato qui nasci non possunt sine peccato. Hactenus Augustinus. Sed quid illis immoramus: cum Christus ipse à

D. IOACHIMI VADIANI

patre se exiisse & in mundum uenisse dicat, nū  
hil minus interim vindicata carnis in se proprie-  
tate, Ioan. 18. Ego in hoc natus sum, & in hoc ne-  
nī in mundum, ut testimonium feram ueritati. Et  
Ioan. 12. Ego lux in mundum ueni, ut qui credit  
in me in tenebris nō maneat. Idem ad humanam  
naturā respiciens eodem in loco, Ego ex meipso,  
inquit, nō sum loquutus, sed qui misit me pater  
ipse mihi mandatum dedit quid dicam aut quid  
loquar.

Hæreses eir-  
ca incarna-  
tionis myste-  
rium.

Hebion &  
Valentinus

Arrius &  
Macedo-  
nius.

Nestor.

Hoc uerbum incarnatum, & hunc Christum  
dominum duarum naturarum inseparabilis con-  
iunctione constantem ecclesiarum orientalium  
præsidet quidam parum memores perfidæ He-  
bionis, Marcionis, Valentini & Manichæi (qui ni-  
hil diuersa insanis ecclesiā afflixerunt) post mor-  
tem primum Athanasij, Chrysostomi, Hierony-  
mi, & Augustini ecclesiā Christi rursus sediliois  
dogmatibus sunt adorti. Fecerant idem paulò an-  
te in affligenda Trinitatis maiestate Arrius & Ma-  
cedonius. Quorum ille filium inæqualem pari-  
faciebat, hic spiritum sanctum deum esse nege-  
bat: utroq; celeribus doctissimorum hominum  
synodis, Nicena scilicet & Bizantina, damnato.  
Quos sero et inclinare iam mundo, hoc est Theo-  
dosio iuniore imperante, Nestor et Euryches Gr̄  
ci itidem homines sunt insequuti. Quorum alter  
præsul Constantinopolitanus, ita de naturis in  
Christo differebat, ut unitatem personæ palam  
solueret

folueret, nec unā, sed duas facere uideretur, nempe unam diuinitatis, alteram humanitatis. Ad hęc non aliter deum in Christo esse docebat, quām reliquis sanctis ipsum scriptura tribueret, unde nec Christum iam natura dei filium, sed adoptio ne faciebat, siue, ut ipse dicere solebat, merito. Quod ipsum in torum non aliud erat, quām bellum crudele aduersum domini incarnationē exercitatum. Et quanquam patronis ceu nō diuersum ab ecclesia sentiret defenderetur, tamē ob doctrinam suam proprius inspectam & ponderaram frequenti in synodo apud Ephesum habita, damnatus, & anathemate percussus est. Successit huic nō magno temporis interuallo Eutyches Abbas Eutyches. Constantinopolitanus, qui eodem Theodosio imperante, initijs cōceptionis Christi, ut arbitror, illectus, duas naturas in Christo ita cōfundebat, ut humanam assumptam quidem, sed assumptio nis conditione abolitam esse doceret, nec in Christo mansisse amplius quām diuinam naturam. Hominem igitur deo absumentem, nec sinebat carni assumptae in Christo locum. Quam demen tiam hominis, mox paulo synodus, in Chalcedone urbe contra Bizantium sita, Martiano iam imperante, damnauit p̄esidēte Fabiano Constantiopol. episcopo. Cum antea, in synodo apud Ephesum habita, cui Dioscorus Apostolicæ ecclesiae Alexandrinæ episcopus præsederat, tam fœ dum & impium dogma; Theodosio ipso in pri-

D. IOACHIMI VADIANI

mis annuente, esset receptum. Adeo iam tum ua-  
riabant Concilia, & nocebat ueritati licentia illa  
pronunciandi, non collatis nec magnopere ex-  
pensis scripturis. Praerat tunc temporis ecclesiæ  
Romanæ Leo primus, uir cum pietate tum erudi-  
tione insignis, cuius extant aduersus Eutychia-  
nam hæresim epistolæ nonnullæ de ueritate car-  
nis Christi, quam in Eucharistiæ sacrificio ante-

Theodorus & Sergius. omnia agnoscamus & profiteamur. Illos postea  
& Sergius. secuti sunt, Theodorus quidam Cilix è Mopso  
crene: & Sergius patriarcha Constantinopolita-  
nus ille, qui apud Heraclium Imperatorem ma-  
gno in precio habitus est. Tum enim Bizantij fe-  
rè habitabant Imperatores Romani, & episcopis  
eius urbis, qui patriarchæ dicebantur, plurimum  
& honoris & authoritatis deferebāt. Theodorus  
igitur Nestorij hæresi instaurata, sic naturas perso-  
nasq; distinguebat in Christo, ut deum & homi-  
nem Christum è uirgine natum esse negaret, nec  
permitteret natuitatem nisi homini, quo suo do-  
gmate naturarum unionem seu coniunctionem  
palam impugnare, sed & amplius suspicari vide-  
batur Christo genito iam & in mundum ædito-  
ceu puro prius homini, naturam diuinam super  
aduenisse, & sic unctum esse, sicut scripture de  
ipso loquitur. Non uidebat enim, aut si uidit, nō  
credebat scripture palam admonēti, quod in ipso  
incarnationis principio, uerbum factum est caro,  
operante spiritu sancto: ut qui postea natus est,  
non

non iam purus homo, sed deus uerus & homo  
uerus fuerit. Quare frequentissima synodo Con-  
stantinopolitana Theodori dogma damnatum  
fuit, adnitente Vigilio eccles. Romanæ episcopo,  
decimotertio anno Iustiniani principis, cuius ani-  
mus hoc pronior erat in Theodori condemna-  
tionem, quo propensiis sectæ Eutychianæ fau-  
bat, unam scilicet naturam in Christo statuenti.  
Hac primum Synodo quadraginta annis ante  
initum à Gregorio pontificatum habita, decre-  
tum est, ut beata uirgo Maria, Θεότοκος, hoc est <sup>Maria</sup>  
dei genitrix uocaretur, quippe quæ Christum se-  
cundum hominē quidē genuit, sed ipsum tamen  
genuit, qui opere incarnationis perfecto ut ho-  
mo uerus, ita & deus uerus erat. Deus quidem,  
uerbum æternum, non factum, sed genitum ex  
patre, per quod omnia facta sunt. Homo autem  
in tempore incarnatus, caro factus, & genitus,  
primogenitus hominis filius. Porro Sergius, quia  
natione Syrus erat, hæresim domi imbibitā haud  
trepide in urbe augusta patriarchatum indeptus  
& Eutychianæ factionis hominibus adiutus di-  
spergere coepit. Iam antea enim præstantes in Sy-  
ria Episcopi, quorum præcipiens erat Athanasius  
Hieropolitanus, palam, non nisi unam uolunta-  
tem in Christo affirmabant, uidelicet diuinam,  
quæ doctrina persuaderi ecclesijs nō potuisse, nī  
si prior Eutyches naturę unitatę in Christo ausus  
fuisset assertere. Cæterum nocentissima illa hære-

<sup>Sergius.</sup><sup>Θεότοκος.</sup>

D. IOACHIMI VADIANI

sis ita breui uires recepit ingentes, ut non Aiam  
modo & Thraciam, sed ipsam etiam Italiam ma-  
gna rerum turbatione perculserit, ipso etiam He-  
ratio in hæresim collapso, cui in Syria contra Per-  
fas agenti, prius Athanasius, mox & Sergius, &  
Sergij successor Pyrrhus patriarcha persuaserat.  
Adeo autem impune multis annis grassatum est de-  
lirium cōniuentibus episcopis, ut imperante pri-  
mum Constantino Heraclij pronepote, qui Po-  
gonatus cognominatus est, Heraclianæ stirpis po-  
stremo, Synodus Constantinopi congregata,  
quam Sextam uocant, ducentorum octuaginta  
nouem patrum confessu damnatum fuerit, annis  
minimum septuaginta quinque post Gregorij  
mortem, qui secundo anno imperij Phocæ, dece-  
rit. Subduxerat se illi Synodo, quacunq; de causa  
Agatho papa Romanus, sed absentiam tamen  
suam resarsit, doctis & pijs uiris Constantinopo-  
lim missis, qui errori tam noxio sese opponerent.  
Monothelitas autem uocarunt Græci, qui θελητοί  
μίαν ιχθύ μόνων unam & solam in Christo  
uoluntatem, nempe diuinam asserabant. Cuius  
erroris coryphæi erant sub iam dicto Constanti-  
no, Georgius Patriarcha Constantinopoleos &  
Macharius Apostolicæ ecclesiæ Antiochenæ epi-  
scopus, uterq; tam doctrina quam honore sedis  
quam tenebat, insignis. Sed cessit monenti Con-  
cilio Georgius & resipuit, Macharius autem, erro-  
rem contumacius defendens, hærefoes est dam-  
natus.

Monothes-  
tæ.

natus. Acta sunt hęc duodecimo anno Constantini, cui mortuo cum filius Iustinianus successisset, & ob morum prauitatem trusus in exilium esset, casu in monachum quendam Monothelitam incidit, qui ei imperium pollicitus, ea causa restituendum domini uoluntate affirmauit, ut se xtam Synodum impie decernentem abrogaret, & quę pie essent à Machario defensa reduceret & confirmaret. Cuius promissi memor, cum haud multo post, ab exilio ad imperium rediisset repente conuocato Concilio, non parentis modo acta, sed Synodi etiam decreta induxit & abrogauit. Quam uæsaniam eius cum Sergius pri-mus Rom. eccl. episcopus egerrime ferret, quaque cura & uigilantia posset, Conciliij decreta de duabus in Christo uoluntatibus, cōmendaret ecclesijs, palam prosciscis illius conatibus, Imperator Furijs percitus Zachariam præfectum militum Romam misit, quo Sergium captum & uinculum adduceret. Qui urbem ingressus, quum Ser-gij causam & dignitatem bonorum consilio & præsidio defendi uideret, re infecta illo unde uerat rediit.

Atq; hactenus quidem de telis & machinis, Studiū quo atq; adeo bello ipso, quod hæretici post debellatios ueteres Hæresiarchas, aduersum uerbi æterni incarnationem, & unitatem personæ in Christo, denuo mouerunt & instaurarunt. Quę sanè hoc libertius retuli, quod uiderē esse quosdam qui ta-

tundam in  
excitandis  
hæresibus  
antiquis.

D. IOACHIMI VADIANI

meti humanę naturę ueritatem in Christo agnoscant, tamen ita distrahunt disputationibus carnem Christi, ut ei ferē praeferre nomen nihil reliqui facere uideantur, & ut audio, latitant nescio quibus in angulis, homunciones gloriæ cupidi, qui nihil mallingent quam ex inferis Eurychen monachum excitare, & tamen uelut nouam & suis debitam ingenij, in lucem proferre carnis Christi diuinitatem, adeoq; unam omnium quæ sunt in Christo, naturam & conditionem facere, quod ipsum et à Monothelitis est factum. Profecto hoc studium est Satanæ præcipuum, ut in rem suam ingenij etiam præclaris abutatur, nec desinat pietatis prætexiu nocere pietati, non nouis modo & nuper excogitatis, sed ueteribus etiā, & pene ab antiquis erroribus, probe gnarus etiam illis, publicana quondam ecclesiarum pacem, haud leui ruina labefactaram fuisse. Quare & nobis aduersum illorum conatus & studia, ea ratio tenenda est, ut nō sensum modo catholicum de domino incarnato, sed uerba etiam ipsa teneamus, quibus antiqui & catholici interpretes in explicando scriptura, rum sensu, & perfidia Hebionis, Valentini, Maritionis, & Arrij, retundēda, magna circumspectio ne sunt usi.

Afferitur ueritas unitatis Christi ē duabus nationis cōstantiis contra hereticos.

Augustinus enim uelut præsentiens futurum ut hac de re iterum dissensiones & hæreses enascerentur, cum sæpe aliâs, tum in decimotertio libro de Trinitate, de uerbi incarnatione locutus, ita seruonem

monem attemperat, ut dicat, Deo ita coniunctam  
fuisse humanam naturam ut ex duabus substanciis  
ficeret una persona, ac per hoc iam ex tribus  
constare Christum, deo, anima, & carne; ita tamen  
ut anima & caro alteram naturam constituant.  
Ideo 19. ca. eiusdem libri sic ait: Et cum lego, Verbum  
caro factum est, & habitavit in nobis &c. in  
verbo intelligo uerbum dei filium, in carne agnoscere  
uerum hominis filium: & utrumque simul in  
una persona dei & hominis, ineffabili gratiae lar-  
gitate coniunctum. Idem cap. 34. Enchiridij, Chri-  
stus inquit Iesus, dei filius est, et deus & homo est:  
deus ante omnia saecula, homo in nostro saeculo.  
Deus, quia dei uerbum (deus enim erat uerbum)  
homo autem quia in unitate personae accessit uer-  
bo anima rationalis & caro. Quocirca in quan-  
tum deus est, ipse & pater unum sunt, in quantum  
autem homo est, pater maior est illo. Cum enim  
esset unicus dei filius, non gratia sed natura, ut es-  
set plenus etiam gratia factus est & hominis fi-  
lius: idemque ipse, utrumque ex utroque unus Christus  
&c. Hactenus Augustinus: non aliud do-  
cens aut edifferens quam quod scripturis est pro-  
ditum. Unitatem enim Christi ex duabus naturis  
constantem, literae nobis Apostolicæ indicant.  
Paulus enim, Vna, inquit, fides, unus dñs. Et ipse  
dñs apud Ioannem, licet ex duabus in se naturis  
palam testetur, tam de se ut uno semp loquitur.  
Sic ad patrem sermone conuerso, Ego, inquit, in

D. IOACHIMI VADIANI

te & tu in me. Item: Nō quod ego uolo, sed quod  
tu uis &c. Quibus uerbis, licet ad naturam huma-  
nam proprie respexerit, tamen unum esse sede-  
monstrans, Non, inquit, quod ego uolo &c. Ego  
inquam Christus filius tuus: unus Christus ser-  
uus tuus (sic enim ab Esaia dicitur.) Quare ad per-  
sonæ unitatem indicandam, ita ipse miscuit no-  
mina, ut pro more scripturæ alteri sœpe tribuatur,  
quod non est nisi alterius, ut quum dicit: Nemo  
ascendit in cœlum nisi filius hominis qui est in  
cœlo. Item: Cum uideritis filium hoīs ascendentē  
ubi erat prius. Itē: Sic deus dilexit mundum, ut fi-  
lium suum unigenitum tradiderit in mortem &c.  
Non enim uerbum æternum in morte tradidit,  
sed seipsum secundum carnē & hominem. Esaia  
quoq; unitatem illam adumbrans, sic inquit cap.  
7. Et uocabunt nomen eius Emanuel, hoc est, no-  
biscum deus &c. Vulgaris autem præsentia dei,  
nec digna prophetarum testimonij suis, si ita no-  
biscum futurum deum prædictissimorum propheta, ut &  
apud patres fuit, quibus ab ipso domino deo di-  
ctum est, Gen. 17. Ego sum, ponamq; fœdus inter  
me & te. Et eodem loco: Ero deus eorum &c. Si-  
c ut nihil nouum aut dignum obseruatione acci-  
disset, si Maria uirgo filium Christum de uirgine  
mine conceperisset: neq; opus fuisset uaticinio & fi-  
gno spiritus apud Esaiam 7. cap. Ecce uirgo con-  
cipiet & pariet filium &c. Quot enim uirgines  
elocatae, concipiunt & pariunt filios? Ut necessa-  
rio

Alteri tri-  
buitur sœpe  
quod alte-  
rius est.

tio consequatur eum sensum apud Esaiam retinendum esse, qui deum nouo & inaudito generi presentiae nobiscum futurum affirmet, nempe dono & miraculo incarnationis, quam ipse multis in locis clarissime indicat. Et sic virginem conceptuam nouo modo & inaudito: quæ uirgo maneat, & filium pariat. Quod ipse Christus lux & corpus ueritatis, in suo corpore mundo ab omni peccato, testatus est. Et ipsa uirgo uirum se non cognouisse affirmans, hoc responsi accepit ab Angelo, ut certo intelligeret, ne cognoscendā quidem à uiro esse, ad hoc ut pareret, sed spiritum sanctum in eius utero fœtum formaturum, qui deo unitus, in mundum æderetur. Quare persuasa uirgo, cum mysterij altitudinem non acciperet, animo submissio & ad dei dispensationes morigero, Ecce, inquit, ancilla domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. Quid obsecro adduci clarius aut evidentius de virginis conceptu & partu inuicilato potuit, quam Lucæ historia prodidit? Ut uere toto celo errarit Nestorius, dum filium Christum gratia filium dei fecit, promeritum scilicet ut deus in illo esset: nam sancti omnes gratia & adoptione filij sunt dei & cohæredes Christi. Recte enim Augustinus, Non regebat, inquit, diuina natura hominem, ut cæteros sanctos regit & perficit: sed gerebat, nimirum inseparabili societate assumptum.

Et licet Personæ seu ὑπόστασος uocem scriptu-

C 2

Personæ non  
cabulū unitatē delis  
gnat.

D. IOACHIMI VADIANI

ræ non habeant, qua Christi unitas exprimitur,  
nihil minus tamen ad rei evidentē expositionem  
ueteres tum Græci tum etiam Latini personæ no-  
mine libenter sunt usi, & ὑπόσασιν, id est, per-  
sonam uocarunt unitatem illam in Christo do-  
mino nostro, inseparabili nexu duarum natura-  
rum, ut sic dicam, cōflatam: quam supra diximus  
ab Hilario, & unionem, & communionem, atq;  
etiam societatem uocari. Lib. enim nono de Tri-  
nitate, Christum ait deo uiuere, naturæ nostræ so-  
cietate, in communionem substantiæ immoraliſ  
unita. Et donari fortassis Nestorio potuissit, si  
idem personarum nomine intellexisset, quod  
nos naturarum uoce exprimimus: tantum unio-  
nem ipsam fuisset confessus, sicut & Græci ὑπό-  
σασιν uocant non modo substantiam persona-  
lem seu subsistentiam rei simplicis, ut personæ di-  
uinæ, sed etiam subsistentiam personæ ex diuabus  
naturis in Christo coniunctæ: quemadmodum  
in libro contra Nestorium & Eurychen, Boetius  
prodidit. At quia unitate personæ diuulsa non na-  
tura, sed merito filium dei fecit Christum, ferri  
amplius in ecclesia non potuit. Et hodie parum  
circumspecte loquuntur, qui dicunt humanita-  
tem Christi, seu hominem Christum, passum esse,  
non deum: præterea, hominē proprie, non deum  
Christum resurrexisse &c. Rectius dicimus Chri-  
stum, dei et hominis filium, traditum, crucifixum,  
passum mortuum, sepultum, suscitatum, in cœlos  
receptum.

receptum. Dei enim & hominis filius re ipsa fuit,  
qui sic traditus, passus, crucifixus, mortuus, sepul-  
tus & suscitatus est & in cœlos abiit, etiam si pro  
ea natura quæ passioni & morti erat obnoxia, do-  
lorem & cruciatum senserit, & resurrectione fue-  
rit glorificatus. Sic enim & in cœlis fuisse se docet  
Christus dei & hominis filius, antequam ascen-  
derit in cœlum: nimirum pro naturæ illius pro-  
prietate quæ cœlum nunquam deseruerat: nam  
& descendisse uerbum dicitur de cœlis, & in mun-  
dum uenisse, ut à prophetis est prædictum, non  
quod in mundo deus non esset, sed quod assump-  
pta carne, uisibili se & naturali humanæ naturæ  
contestatione, mundo se filius dei exhibuerit. Ut  
hoc insanior Eutyches fuerit, quo stultius natu-  
ram humanam in Christo tot modis in scripturis  
cognitam, perspectam, & demonstratam, negare  
fuerit ausus. Nisi uerisimile est hoc eum sensisse  
quod natura humana in Christo, post resurrectionem  
nem & gloriam à resurrectione indutam, à diui-  
na abolita, aut in diuinam naturam conuersa fue-  
rit. Video enim & Boctium dubitare, ante ne, an  
uero post resurrectionem hominis ille naturam  
in Christo fuisse aut mansisse negarit? Dum as-  
sumptam quidē eam, sed absumptam fuisse, con-  
fessus est. Vtrum autem sensir, constat non altero  
modo, sed utroq sensu eum impegiisse, & impie  
esse lapsum. Nescit enim, ut uere ab Hilario est di-  
ctum, nescit inquā uitam suam, qui Iesum Chri-

D. IOACHIMI VADIANI

ut uerum deum ita & uerum hominē ignorat: &  
eiusdem periculi res est, Christum Iesum, uel spiri-  
tum Deum uel carnem nostri corporis ignorare.

Quod si Nestor & Eutyches, Athanasium il-  
lum suum inter Græcos interpretes celebri-  
mum legissent, aut, si legerunt, sanè intellexissent,  
& sequi uoluissent, profecto longissime ab his  
errorum scopulis declinassent. Sicut enim habet Atha-  
nasij confessio, quæ hodieq; in omnibus ecclesijs  
decanatur: Est ergo fides recta, Ut credamus &  
confiteamur, quod dominus noster Iesus Chri-  
stus dei filius, deus & homo est. Deus ex substan-  
tia patris ante sœcula genitus, & homo ex substan-  
tia matris in sœculo natus. Perfectus deus, perfe-  
ctus homo, ex anima rationali & humana carne  
subsistens. Aequalis patri secundum diuinitatem:  
minor patre secundum humanitatē, qui licet deus  
sit & homo, non duo tamen, sed unus est Chri-  
stus. Vnus autem non conuersione diuinitatis in  
carnem, sed assumptione humanitatis in deum,  
unus omnino non confusione substantię, sed uni-  
tate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro  
unus est homo, ita deus & homo unus est Chri-  
stus. Hæc Athanasius, aduersum Arrianos quidē  
prodidit, sed ea claritate exposita Christi persona,  
ut mirum sit in oriente esse potuisse Græcos ho-  
mines, qui fidem illā suam de scripturis depropo-  
tam impugnare quam sequi maluerint.

Ridicule enim Theodorus, deum in Christo ex  
Maria

Athanasij  
egregia con-  
fessio.

Maria æditem negavit, cum scripturæ testentur, Contra  
Theodorū  
negantem  
Mariā esse  
deiparam.  
 deum & hominem fuisse Christum, quum ē vir-  
 gine est genitus. Ex quo enim tempore Christus homo cœpit esse, ex eodem tempore Christus  
 deus erat cum homine, sicut 17. cap. libri de Trini-  
 tate. 13. docuit Augustinus. Neq; offensus esset il-  
 le genere sermonis aut τοῦ θεοτόκου vocabulo, si  
 uidisset hoc peculiariter solere scripturā, ut quod  
 alterius in Christo naturæ est, sæpe toti Christo  
 tribuatur: nec propterea naturæ seiungantur, quia  
 aliud deo, aliud homini cōueniat, sed recte, quod  
 utriusq; est, toti Christo tribuitur. Sergius autē &  
 Pyrrhus Patriarchæ, quoꝝ ante meminimus, &  
 qui postremo ciamnatus est, Macharius, nec unā  
 uoluntatē statuissent in Christo, si cum Eutychie,  
 nec duabus naturis unā uoluntatē tribuissent, si Duc in Chri-  
sto uolun-  
tates.  
 cum Nestorio senserunt, modo manifesta & irre-  
 fragabilia scripturæ testimonia expēdere & con-  
 ferre uoluissent. Interpretes em̄ ueteres, qui mul-  
 tis saeculis Sergium antecesserunt, nusquā ita con-  
 fuderunt aut sustulerunt naturas in Christo, quin  
 utriq; diuinæ scilicet & humanæ, suam uolunta-  
 tem tribuerint: nec intellexerint scripturam aliud  
 docere, aut Christum aliud sensisse, quando dixit  
 Ioan. 5. Non quaero uoluntatem meam, sed eius  
 qui misit me &c. quām quod functio aduentus  
 sui & disp̄satio redemptionis per mortem suam,  
 nō hominis uoluntate, qualis & in Christo erat,  
 uero homine: sed diuina uoluntate, quæ & ipsa

## D. IOACHIMI VADIANI

uerbi incarnati uoluntas erat, præordinata fuerit.  
Sine causa autem dixisset Christus: Non querere uo-  
luntatem meam &c. si in eo non nisi una & ea  
quidem diuina fuisset, ut Monothelite somni-  
ant, ut taceam quod ridicule dominus suam uo-  
luntatem indicasset, cui diuinam præferret, si præ-  
ter diuinam aliam non habuit. Quomodo enim  
meum recte uoco aut dico, quod non habeo?  
Quod si una tantum uoluntas in Christo fuisset,  
potius fuerat dicendum, Quæro uoluntatem meā  
&c. hæc enim diuina fuisset, illius scilicet à quo  
erat missus. Quid igitur? Negat Christus se uo-  
luntatem suā querere, quatenus homo erat, ratio-  
nalis & naturalis animæ, ut hoc amplius missio-  
nis suæ munus commendaret, nec purum homi-  
nem esse se Iudæis de diuinitate ambigentibus  
ostenderet. Neq; non ad patrem refert seriem my-  
sterij & dispensationis aduentus sui, cum quo ra-  
men ipse, filius unigenitus, eadem & instituit &  
dispensauit. Quo modo Ioan. 1. Descédi, inquit,  
de cælo, ut faciam, nō quod ego uolo, sed quod  
is uult qui misit me: hoc est, Ea causa ueni in mun-  
dum, ut homo factus, non hominis uoluntatem,  
sed dei uoluntatē exequerer & præstarem. Aeter-  
næ enim dispensationis erat dei, quicquid Chri-  
stus in mundo fecit, docuit, mandauit. Atqui ut  
palam de ueritate assumptræ humanitatis restare-  
tur & eius propriam indicaret uoluntatem, in fa-  
ciem procidens, & sese humilians, Matth. 26. Pa-  
uper

ter, inquir, mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. Vult pater filium mori, quod ipsum & Christus uult secundum naturam qua unigenitus erat patris ab æterno filius : qui ea causa sæpe præmonuit suos, futurum, ut pateretur & moreretur, & resurgeret, imo, quod oporteret eum mori, & animam ponere ut eam resumeret. At Christus secundum hominis naturam & cōditionem, dolet & tristatur, ad passionis imminentis agonem suadat etiam : &, quæ naturæ nostræ proprietas est, seruari uellet, non solui: uiuere, nō perimi: quem affectum tamen caro sanctificata non tuetur, sed diuinæ uoluntati subiicit, etiā si tristis anima cius esset usq; ad mortem: ut hoc modo infirmitas illa aliena à peccato nil magis sit testata, quam uehementem passionis sensum & cruciatum, quem certo uoluntas hominis renueret, quæ uoluntati dei subiecta & obsequens non esset. In Christo autem etiam renitente naturæ imbecillitate (qua uerissimam humanitatem suam ostendit) uoluntas humanæ naturæ patris uoluntari summissa est. Id quod in Sanctis omnibus, utcunq; afflictis & cruciatis, quanquam dispara à Christo ratione, factum esse uidemus. Oportuit enim doloribus & cruciatib. obnoxium fieri dominum nostrum, nec alienum esse ab infirmitate mortalis hominis, qui deo præordinatè peccatum pro nobis factus est, quo pœna pro nobis pensa & tolerata,

D. IOACHIMI VADIANI

morte uidelicet miserrima, Chyrographum æter  
næ obligationis nostræ affigeret cruci, & reatum  
condemnationi adiudicatum elueret. Neq; hoc  
solum, sed ut Pontificem haberemus, qui per om  
nia tentatus sensu nostrarum infirmitatum pos  
set affici: quod Paulus ad Hebræos 4. & 5. capite  
clarissime differuit.

**E**pilogus. In Christo igitur (ut summatim colligamus)  
alia uoluntas humana, alia diuina: sicut alia nau  
ra humana rationalis, alia diuina natura increa  
ta, cœlestis sapientia, uerbum æternum: utraq;  
Christi, utraq; personæ unius, unici domini no  
strí: nec obest si altera alteri summissa est, ut nunq;  
diuersum decernat aut faciat, in carne illa sancta  
& exortie à peccato omni. Siquidem & animam  
sanctificauit, qui carnem sanctificatam assu  
misit, ut & uoluntas naturæ humanæ in Christo  
non potuerit sancta & obsequens nō esse. In uni  
uersum enim scripturæ non admittunt, ut, dum  
Christum esse uere hominē asserimus, & in tem  
pore conceptum genitumq; docemus, unam uo  
luntatē faciamus naturæ increatae & naturæ crea  
tæ in Christo. Sed hæc hucusq; de coniunctio  
ne uerbi cum corpore Christi dicta sufficiant.

**D**e conditio  
nibus. Nunc ad alia nobis ueniendum. Et primum  
quidem ut de conditionibus dicamus, nemo igno  
rat, sic naturam humanam à uerbo æterno assu  
ptam, ut & infirmitatem & imbecillitatem no  
stram omnem, secluso peccato, assumpsit. Porro  
peccatum

peccatum cum secludimus, etiam fructum peccati procul omnem à Christo exterminamus. Fuit igitur in Christo, ut homine, fames, fuis, ualeudo, algor, æstus, somnus, uigilia. Fuit (quod ad animā attinebat) cura, solicitude, tristitia, timor, dolor, morror, anxietas, quibus mortalis conditio accessit, quæ omnia & singula, adeo abfuit ut abhorrebet natura illa cœlestis in carnem demissa, ut uolens etiam & cupiens assumpsiterit, quo mystrium uitæ & redēptionis nostræ ante sacula, ut diximus, decretum & dispensatum, obiretur. Oblatus enim est quia uoluit, Esa. 53. Quippe potestatem habuit ponendi animam suam, & recipiendam, eo scilicet mādato accepero à patre suo, Ioan. 10. Accedit his, quod (ut Hilarius lib. 2. de Trinitate scribit) Christus per conceptionem, partum, uagitum, cunas, omnes naturæ nostræ contumelias transcurrit. Hoc est (ut ego intelligo) per omnia ita humanæ conditionis in carne sua extitit. Ideo Apostolus Philippi. 2. de Christo, Qui cum esset in forma dei, non rapinā arbitratus est, ut esset aequalis deo, sed semetipsum inaniuit formam serui sumpta, in similitudinem hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum factus obediens usq; ad mortē, mortem autē crucis. De qua re apud Esaiam legimus, Esa. 52, et illo quidem Apostoli loco : præterq; qd̄ deus incarnatus demonstratur, utriusq; simul naturæ ueritas perdiscitur. Non enim alia causa in

D. IOACHIMI VADIANI

similitudinem hominum constitutum & figura repertum ut hominem, proponit Apostolus, quām quod incredulis purus quidem homo uisus est, qui tamen longe maius homine fuerit, nempe deus uerus. Aliud enim est, quod assumit, aliud quod assumitur. Et deus quidem assumpsit formam serui quadam tenus puro homini similis, sed qui purus tamen homo non sit, sed uerbum in Christo, in quo & homo. Porro clarissimū uaticinium Esaiæ de cruce & morte, in desperatissima humilitate, quām ut dubitari ea de re uulso modo posuit. Ut cumq; autem in ærumnis, humiliis & despectus dominus, utcumq; infirmus & imbecillus fuit, tamen ita non minus in miseria quām postea in gloria, uerus deus fuit, ut nec decesserit naturæ diuinæ in humilitate, nec eidem in gloriæ sublimitate accederit: quod ipsum & de humana natura per omnia intelligimus. Idem enim Christus natus & in præsepi positus cum corporali plenitudine diuinitatis, qui fuit dum in gloria assumptus est: & idem homo Christus in celum receptus, qui fuit in uirgine conceptus, & in crucem actus. Idem dominus & deus in terris ante resurrectionem, qui dominus & deus in celis post ascensionem. Idem homo mediator in celo, qui sacerdos & propitiator in cruce, in quo & mortali & glorificato ex æquo omnes thesauris plentia & scientie dei recorditi sunt, ut inquit Apostolus Col. 2. Proinde recte, mea sententia, & pie dictum

dicitum est ab Augustino lib. de Trinit. 13. Quod Christus deus diuinitate subuenit hominibus, hui manitate cōuenit. Quanquam & homo & deus hominibus uitam impetravit. Quod autem apud Lucam legimus, Lu. 2. Iesus proficiebat sapientia, ætate, & gratia, apud deum atq; homines &c. ad naturæ humanæ habitum refertur, quæ suis gradibus à puerō, ad virilem usq; ætatem aucta indies maiora atq; euidentiora cœlestis sapientiæ indicia promebar, ut postmodum plane dei filius, ab his quibus erat datum, cognosceretur, & impij qd operum magnitudine territi, gustum quendam diuinæ in eo naturæ sentiebant. Nec potest dubitari, humanam naturam, ut à uerbo assumpta est, eiusdem coniunctione non modo sanctificatam, sed etiam donatam fuisse cœlestibus bonis & diuitijs gratiarum, & sic Christum unctum oleo exultationis, præ consortibus suis, sicut Psalmus quadragesimus præcinctus. Vnde ipse Christus iuxta dispensationem carnis assumptæ locutus, Esaiæ 51. Spiritus, inquit, domini super me, eo qd unxit me dominus, ad annunciatum manus misit me, ut mederer contritis corde, &c. Quæ uerba ad se pertinere, ipse dominus Luc. 4. ca. testatus est. Alibi quoq; apud Esaiam Deus patet ita insit: Ecce seruus meus, seu (ut Septuaginta) puer meus, suscipiā eum, electus meus, cōplacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus pferet. Quod sanè

D. IOACHIMI VADIANI

in primo eius aduentu Matthæo teste præstitum est, & in altero porro præstabitur. In Christo enim baptizando, cum spiritus sanctus columba specie cerneretur, super domino, simul & patris uox illa ab Esaia prædicta, repetita est, Hic est filius meus dilectus in quo cōplacuit anima mea, ipsum audite. Ut non docte modo (ut equidē senio) sed pie etiā distinxerint, qui tres quodammodo naturas in Christo statuunt. Tribus enim distinctis rebus constat, quarum duæ tamen ad hominem pertinent, uidelicet, corpore humano, anima humana, & natura diuina, quarum cuique proprie conuenit aliquid quod reliquæ non ferunt, & tamen ob unitatem personæ de uno Christo domino prædicantur. Sic affixus cruci & in cruce uulneratus est Christus deus noster, quod tamē ei proprie non nisi secundum corpus accidit, ab hoc enim solo, plagæ & uulnera accepta sunt. Sic & unctum docent Christum scripturæ, ut iam diximus, qui secundum corpus tamen unctus non fuit iubete deo, sed secundum animam tantum, gratia perfusam: & tamen uocabulum Christi, qd de unctione tractum est, toti personæ dominis trahitur. Ad eundem modum & descensus ad infernos, iuxta uulgarum sensum, à Christo factus, nec corporis erat utiqz pendentis in cruce, nec diuinitatis quæ etiam in infernis adest, sed proprie animæ fuit Christi: & tamē in Symbolo, Christum mortuum ad inferna descendisse confitemur & credimus.

EPIST. ORTHODOXA. 24

mus. Par modo ita summittit se Christus interdum iuxta naturam humanam, ut sibi adimat, & parti soli uendicet, ut Matthaei 24. de die iudicii, & Actorum primo, de eodem. Quibus locis motus Irenæus ita fiderter differuit libro aduersum hæreses secundo, ut palam demat filio notitiam diei supremi. Cōtra uero s̄epe eadem sibi tribuit quæ patri. Quæ omnia solertissime exposuit D. Augustinus in prioribus libris illis quos de Trinitate scripsit, ad quem reliqua desiderantē remittimus. Libuit autē in hęc paucula digredi, occasione humanitatis humiliatę in Christo, ne excideret nobis quod in huius quæstionis materia crebro est inculcadum, ita uidelicet susceptam naturam nostram à uerbo, ut conditiones humanitatis uel abiectissimas non fuerit auersatum.

Porro sicut humilitatis & infirmitatis, ira etiam exaltationis & gloriæ ratio licet totius Christi sit tamen proprie non nisi carni & corpori tribuitur: proprie enim exaltatio uera eius est, cuius uera fuit & propria humiliatio. Nec enim deus est exaltatus, sed Christus homo. Pater utiq; glorificauit filium, ut Petrus ait, Acto. 3. Et rogauit patrem filius, ut glorificaretur, nimirum pro humanae fragilitatis modulo. Pater uero respondit, Glorificau & glorificabo, Ioan. 12. Sed & ex mortuis Christum uirum quem Iudæi occiderant, Deus excitauit, ut idem Petrus Acto. 2. docuit. Ad quem modum & Apostolus Rom. 8. Spiritum dei do-

D. IOACHIMI VADIANI

et esse qui Christum excitarit ex mortuis, Verbum scilicet & deum ipsum qui erat in Christo. Interim & deum glorificatum in Christo scriptura memorat, quod tamen & ipsum quodamtenus è gloria corporis Christi ducitur: per quam (ut lib. 11. de Trinitate Hilarius ait) dei filii gloria intellecta per corpus est. Glorificauit pater filium hominis ante resurrectionem, opere, doctrina, prodigijs: pariter his omnibus & pater glorificatus est, dum deum in filio hominis agnoscant credentes, & patrem in filio, & per filium reuelatum & annunciatum, laudant, colunt, uenerantur, adorant. Nec credentes modo, sed & impii stupescunt ad operum & prodigiorum magnitudinem. Ideo dominus Io. 11. de morte Lazari, Hæc inquit, infirmitas non est ad mortem, sed pro gloria dei, ut glorificetur filius per eam &c. Ecce, dei gloriam & filij dei, opere Christi quæsitam. Simili modo Ioan. 9. de cæco nato, Neq; hic peccauit, inquit dominus, nec parentes eius, sed ut manifestentur opera dei in illo. Proinde & Martha probegnara operum ingenium quæ dominus fecerat, Domine, inquit, ego credo quod tu sis Christus filius dei uiui, qui in mundum uerturus erat, Ioan. 11. In homine scilicet deum esse confessa, & simul & hominis & dei gloriam per Christum et in Christo experta.

Respondeatur ad quæstionem.

His ad hunc modum declaratis & expositis, ad propositam quæstionem ut respondeam, dico, Cor-

Corpus Christi à uerbo assumptum & cum  
uerbo cōiunctum nō accepisse, aut ante, aut post  
resurrectionem, ullas conditiones quæ cum natu-  
rali corporis humani ueritate pugnant, aut eius  
naturalem subsistētiā non ferant. Quod ipsum  
probare aut multis ostendere, nō est necesse, cum  
ueritatē humanitatis perpetuæ in Christo & mor-  
tuo & suscitato, densissima scripturarum authori-  
tas proberet & conuincat, præterea ueteres uere san-  
cti uerecyp̄ pñ & eruditū interpretes afferant, & su-  
per omnia ipsa, quæ omnis ueritatis basis est, ca-  
tholica fides confiteatur. Soli hæretici, obstinatis-  
simum hominum genus, negant: nec mirum, nō  
effent enim quod uocantur, si non negarent. Sed  
de his, & antea diximus & paulo mox pluscula  
sumus dicturi.

Cæterum si per alienas conditiones eas intel- Quatenus  
ligimus quæ præter naturam qua homines ho- accipiat.  
die concipiuntur & nascuntur, ipsi corpori huma-  
no adueniunt, ab altiore aliqua causa pendentes,  
&c. plane fatemur: imò docemus corpus Christi  
sumpsisse sibi alienas à corpore humano condi-  
tiones: quales sunt, uacuitas à peccato, inedia qua-  
draginta dierum, ambulare super undas, clarifica-  
xi in monte, ex oculis cernentium euangelicere, ex  
mortuis resurgere, clausis portis intrare, à terris  
euolare, subleuari, assumi, in cœlo agere & qui-  
dem corporaliter, æternum & immortalem esse,  
atq̄ id genus aliæ: quæ tales tamē sunt, ut eas ma-

D. IOACHIMI VADIANI

gna ex parte dominus cum sanctis suis communes habeat, quorum tamē corpora nulla prorsus assumptione diuinæ naturæ sanctificātur, sed ad optione & gratia & uirtute quam deus humanis corporibus ad gloriam aut ignominiam & perditionem applicat, ut quod ab eo semel est constitutum, ineuitabili successiōe eueniat & præstetur. Vnde fieri uidemus ut id genus cōditiones, ut se dicam, supernaturales proprie coniunctioni seu incarnationi tribui nequeant. Integritas enim (ut ab hac primum ordiamur) licet pura incontaminataq; à Christo sit in utero assumpta propter sanctificationem spiritus superuenientis, quo & uirginis matris carnem sanctificatam intelligimus, tamen non obscurum est, eandem naturam primos parentes nostros in Paradiso tenuisse, circa omnem peccati labē, perfectoq; in statu iustitiae, in quo si perstiterent, ut erant in genti coelestium rerum terrenarumq; gloria prædicti, sancte nec peccatum nec uitium, nostri generis propagationem infecisset. Ad hęc sancti omnes, quos dominus in illo die gloria immortalitatis induet, ea itidē conditione donabuntur, ut extra omnem peccati labem, ad primæuam illam iustitiam restituat, coelestem uitam sint acturi. Porrò & iejunium dierum quadraginta ipse etiam Helias sustinuit, sicut tertio libro Regum legimus. Et Petrus super undis ambulauit non hæfirans: & tunc primum apprehensus à domino, cum hæfitare cœpisset, Mat. 14.  
Sed

EPIST. ORTHODOXA. 26

Sed & glorificatio corporum factorum, qui Christo mortuo de sepulchris prodierunt, et multis aparuerunt, sicut Matth. 27. legimus, eam gloriam iam tum cum Christo resurgentem habuerunt communem, ut & ablati ab hominum oculis non apparerent nisi quibus uellent: quod profecto minime obscure scriptura innuit. Enim uero & ascensionis conditio, qua à terris hominis corpus sublevatur et in coelestibus degit, præterea conditio uitæ humanæ æternæ & immarcescibilis, eos omnes manet, qui ad gloriam uitæ & salutis sunt resurrecturi. Quandoquidem et impijs communis est nobiscum resurrectionis conditio, ut & ipsorum pariter immutatis et immortalibus factis corporibus, ignem sibi paratum sint in gressuri, neque id naturali aliqua uicissitudine, sed uirtute diuina qua mortui omnes semel ad iudicij diem excrabuntur.

Hæc eo libenter commemoraui, ut Eutychia nos nostræ ætatis, tantopere carnem Christi uere humana extenuantes, & cum diuina natura in non confundentes admonerem, quo perspicerent & cognoscerent, uel præcipuas conditiones corporis Christi diuina illi uirtute inditas, tales esse, ut corpori etiam mystico, quod est ecclesia, cum ipso capite communes existant: nedum ut suspicari sit opus, carnem domini, quia uerbo coniuncta & gloria praedita, atque etiam super omnes cœlos exaltata sit, eam ob rem conditiones sumptu-

Ad nouos  
Eutychias  
nos.

D. IOACHIMI VADIANI

se quæ substantiam corporeæ naturæ, & ueritatis carnis in Christo (ut de uirgine nata est) ullo modo, aut ulla parte permutarint aut subuerterint. Singularis quidem illa, & nulli omnino alijs creaturæ cōmunicabilis, Christi Iesu cōditio est, quod in ipso caro nostra cum uerbo coniuncta, & una in Christo cum uerbo persona facta est, excellente sanctificatione operante, per sacramentum mystерium inenarrabilis, quod dominum nostrum Iesum in seruatorem, sacerdotem, redemptorem, conciliatorem, intercessorem, ab æterno destinatum instituit, ut caput esset Ecclesiæ suæ, quam communicatione donorum spiritus, & carnis natura li, in consortium sanctificationis recepit & conclusit. Sumus enim os ex ossibus eius, & caro de carne eius, quicunq; spiritus fidei interuenit carni eius & ossibus eius adglutinamur.

De cōditio Porro quod omnibus infirmitatis & mortali-  
nibus corpo- tatis conditionibus exutus iam dominus ad de-  
ris Christi à xteram est patris, nō detrimentum, sed incremen-  
resurrectio- tum attulit carni eius. Tunc enim maxime natu-  
ne. ra nostra primuæ illi origini & innocentie acce-  
dit, cum præsentis sæculi incommodis iniutijsq;  
exuta, ab ipsa quoq; peccati miseria quam longu-  
sime abest. Siquidem & hæc ipsa gloria nostræ  
immortalis pars est, quod olim immortalitatis ro-  
bore superinduti, humanæ imbecillitatis penuria  
relecta, corpus resumemus, nec cibi nec potus, ne-  
que in toto ullius naturalis adiutorij indigens,  
sed

sed cōditione erimus ut Angeli dei. Quapropter & Apostolus Roma. s. hoc expectare creaturam ait in nobis, ut palām fiant filij dei: quippe uanitati creatura subiacet, non uolens, sed propter eum qui subiecit illam sub spe, quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum dei &c. Quo loco Paulus per creaturam carnem nostram intellexit, omnē genus ærumnis & imbecillitatibus obnoxia, pressamq; peccati tyrannide per membra nostra faciente & tumultuantem, donec corruptibilis conditio, donum incorruptibilis integritatis assequatur. Quando igitur à corpore, quæ sunt imbecillitatis auferuntur, non aufertur aut tollitur natura corporis in se, sed magis instauratur et perficitur. Et est perfectior humana natura in gloria non egens rerum elementalium fomentis & adminiculis, quam esse queat in saeculo, dum rebus conductis sustentatur, nec nisi in diem durat. Ut taceamus qd omnis illa mortalis infirmitas nostra & ipsa in primis radix uitiorum concupiscentia, quæ regnum, ut sic dicam, carnis nostræ occupat, usque adeo absunt ab integritate originali, ut reuera nō aliud magis testentur, & ob oculos ponant cogitantibus nobis, quam lapsum secundum naturæ uiciæ, præterea seruitutem & mortem æternæ condamnationi adiudicatam. Ut tum primum uere homines, & amplius beati futuri simus, quum pater ille coelestis per filium suum Iesum, cuius fra-

D. IOACHIMI VADIANI

tres & cohæredes sumus, corpora nostra consonia gloriae suæ fecerit: quiq; est caput ecclesiæ sanctorum, nos membra sua in consortium paternæ maiestatis assumet, dum (ut Hilarius ait) in eo pater est, et ille rursum per societatem carnis in nobis est, quos in regnum paratum ante mundi constitutionem collocauerit, quibusq; absorpta morte immortalem uitam æternamq; reddiderit. Non enim tum incrementis corporum infinitatumq; casibus, uitæ humanæ demutatio laborq; tolerabitur, sed æternitas cunctis quæ se ipsam alat conseruetq; donabitur: ut ex deo, per quem resurgemus et glorificabimur, immortales & æterni maneamus.

Est ergo corpus Christi in cœlos receptum, ut uere uiui hominis, primitiæ resurrectionis nostræ, ita uere etiâ naturalis: quippe instaurata est, ut iam saepe diximus, per gloriam natura cius, non diminuta aut affecta, nec aliud corpus habet, aut carnem aliam immortalis iam et gloriosus, quæ habuit mortalis & crucifixus. Carnem ille nostrâ assumpsit, & in eadem nobiscum uere communica. Quod etiam Lombardus uidens, lib. 3. Sent. distinct. 3. Carnem Christi assumptam ait, nec cœlestem esse, nec aercam, nec alterius cuiuscunq; naturæ, quam eius cuius est omnium hominum caro. Recte enim & uere dictum est ab Hilario, super Psal. 143. Hanc esse humanæ spei ueritatem, qd humana natura & corruptibilis caro in Chri-

EPIST. ORTHODOXA. 18

so per glorię demutationem in æternam substan-  
tiam transformata est. Hoc enim quod ipse nunc  
est iuxta carnis gloriā, idem & nos olim erimus.  
Siquidem patrem rogauit, ut quo loco ipse esset  
in cœlestibus, in eodē & sui essent futuri. Quod  
quidem erit, cum non ablatis aut exinanitis, sed  
transmutatis corporibus, uestem illam gloriæ im-  
mortalitatis, cuius Apostolus meminit, superin-  
duemus. Ipse enim dominus, teste Paulo Philip-  
pi transfigurabit corpus nostrum humile, ut con-  
forme reddat corpori suo glorioso. Non enim in-  
duer nos uelut nudos & carne exutos, sed super-  
induet, ut quod ante in nobis naturale quidem er-  
proprium, sed caducum erat, non amplius cadu-  
cum sed immortale fiat.

Est autem domino nostro in cœlestibus agen-  
ti solidum corpus, non (ut Martion blasphemae-  
bat) euaniendum & fantasticum, qd ut naturæ pristi-  
næ & incorruptæ substanciali esse doceret, cernen-  
dum contrectandumq; discipulis præbuit; expres-  
se testatus, hac una indicatione intelligi posse, qd  
idem etiam corpus è sepulchro sumpserit in glo-  
riam, quod antea ex uirgine in mortem & redem-  
ptionem assumpserat: uidelicet quia carnē & os-  
sa haberet, nec esset spiritus. Propterea & come-  
dit & babit, haud quidem necessitate fouendæ na-  
turæ, etiam si uere & babit & comedit, sed testan-  
da gratia ueritatis de corpore, quod (ut Petrus  
ad) corruptionem non uidit, sed exaltatum est de-

Solidū cor-  
pus habet  
Christus in  
coelis.

## D. IOACHIMI VADIANI

xtera dei. Tactu igitur & uisu, & uoce ab aposto-  
lis præhensam carnis naturam, ueram esse, & in-  
dubitatem naturæ humanæ, credi uoluit. Propterea,  
ut sibi eam ipsam, uel gloriſicatus, uendicaret, ite-  
rum patri tribuit quod suum nō eſſet, nempe tem-  
poris supremi ſcientiam, quam pater in ſua ipſius  
potestate conſtituit, Actorum 1. Quod ſanè facere  
non potuifſet ſi eius naturæ proprieſtas qua patre  
eſſe minor, in ſe iam transfigurato & gloriſicato  
non manſiſſet. Videant igitur illi, qui dum uerita-  
tem afferunt corporis humani in Christo gloriſi-  
cato, ſic tamen de ipſo ſentiunt, ut locabile eſſe ne-  
gent, ac propemodum diuinæ faciant naturæ, &  
æquiore ferunt animo ſi multis in locis corpus  
eſſe domini dicas, quām ſi aliquo in loco, quicun-  
que tandem ille ſit, aut ſaltē, quia uerum corpus  
eſſe, ex naturæ ſuæ ueritate & proprieate locabile  
eſſe contendas, atq; id quidem teſtatiſſimis scriptu-  
rarum oraculis probes & confirmeſ: ut in præſen-  
tia non aitingamus, quod ex diametro pugnare  
uere eſſe aliiquid corpus, & idem ipſum interim  
locabile non eſſe, cum uisibili tamen & circum-  
scripta loci mutatione dominus & terras reliquæ  
rit, uestigijs etiā (ſi Hieronymo credituſ) in oiu-  
ti uertice relictis, & ſublimis in cœlum ſit rapus,  
atq; ita, ſcriptura teste Act. 1. rediturus ſit corpora-  
liter, ſicut corporaliter ex hoc ſeculo diſceſſit.

Veteris ſen-  
tētia de car-  
ne Christi  
clarificata.  
Certe ueteres omnes naturam carnis in Chri-  
ſto corporeæ, eius ſciliſet, in qua natus, paſſus,  
mortuus,

mortuus, & glorificatus est, magno consensu af-  
firmarunt: neq; id mirum, cum illud ipsum diser-  
te scripturæ moneant: quemadmodum pro no-  
stri ingenioli captu in Aphorismorum libris de  
Eucharistia consideratione scriptis latius edisse  
ruimus. Diuus autē Hieronymus in epistola qua  
dam ad Pamachium de erroribus Ioannis episco-  
pi Hierosolymitani, tanta severitate & grauitate,  
carnis uerae in Christo domino confessionem ex-  
eo catholicam fidem iactante, requirit, ut quum  
Ioannes in epistola sua ad Synodum missa confi-  
teretur credere se, passionem Christi in cruce, &  
mortem, & sepulturam, & resurrectionem, in ue-  
ritate, & non putative factam, præterea primoge-  
nitum ex mortuis Christum primitias massæ cor-  
porum nostrorum, quas in sepulchro positas su-  
scitauit, & ad cœlum peruexit, spem nobis in re-  
surrectione proprij corporis tribuens, ita confir-  
masse, ut omnes speremus sic resurgere nos ex  
mortuis sicut ipse resurrexit: haud quidem in alijs  
quibusdam peregrinis & alienis corporibus, que  
assumantur in phantasmate, sed sicut ipse in illo  
corpo, qd apud nos in sancto sepulchro condi-  
tum resurrexit, ita & nos in ipsis corporibus qui-  
bus nunc circundamur, & in quibus nunc sepeli-  
mur, eadem ratione & uisione speremus resurge-  
re &c. Cum inquam sic Ioannes de corporum re-  
surrectione confiteretur & differeret, tamen non  
contentus Hieronymus, perpetua eum Origenici

D. IOACHIMI VADIANI

erroris suspitione premeret, nisi in cōfessione sua  
non modo uocabulum corporis, sed etiam carnis  
(ut quo corporis naturalis proprietas & ueritas  
propius exprimeretur) enunciaret & poneret. Do-  
cebat autem Origenes, & hos errare qui carnis ei  
corporis resurrectionē penitus negarent, in quo/  
rum numero Martion, Apelles, Valentinus et Ma-  
nes erant, qui uitam & salutem soli animę tribue-  
bant, afferentes & ipsum dominum non nisi in  
phantasmate resurrexisse, putatiui uidelicet corpo-  
ris, in quo et natus Christus magis puratur quam  
uere fuisset. Sed & illos pariter errare aiebat, Phi-  
losarcas appellans eos qui eadem ossa carnem &  
sanguinem, cum reliquo hominis habitu, ut in ui-  
ta fuissent, resurgere putarent (quam sententiā ta-  
men ut catholicam aduersum Ioannem tuebatur  
Hieronymus.) Proinde medianam quandā opinio-  
nem Origenes ingesserat, uidelicet corpora no-  
stra defuncta, quia ex elementis constarent, in ea-  
dem rursum resolui, & in illis quidem principijs  
suis durare, in quæ fuerint resoluta, sed deinceps  
illorum coitu nec renasci nec reformari, quia tali  
corpo in statu glorię minime nobis foret opus:  
ut qui nec esuri essemus, nec bibituri, nec labora-  
turi, neq; nuptias peracturi, sed p omnia futuri ut  
Angeli. Quare futurum docebat quod in nouissi-  
ma tuba sua deus defunctorum animas alijs cor-  
pus esset, quę nec tactui subiacerent, nec oculis cat-  
nerentur,

terentur, nec pondere suo prægrauarentur, sed pro loco & in quibus futura essent uarietate mutarentur. Quam sententiā suam etiam Apostoli uerbis fucabat, Seminatur corpus in infirmitate, surget in uirtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Quod si tale corpus resurgeret quale hic gerimus, bibendum esse nobis & edendum, aiebat, in futuro sæculo, aliaque id genus agenda, quæ mortales egissemus.

Atq; hunc quidem in modum Origenes, cuius delirium seq & tenere Ioannes episcopus uidetur. Flagitar igitur Hieronymus, ut quoniā ipse cum ecclesia sentire se & docere diceret, tam uoce carnis quam vocabulo corporis in sua confessio ne uiteretur, corporis enim uoce qua & Origenes utebatur nō fiebat satis Hieronymo, nec satis ab erroris suspitione liberabat Ioannem, cum & Origenes corpus resurrectorum assereret, carnis inter rim negaret, & alia simul corpora assingebat animalibus excrandis quibus induerentur, diuersa ab illis in quibus aut bene aut male in hoc sæculo egissemus: quasi uero aliud corpus digne damnationi adiudicaretur, aut ē diuerso gloria uitæ coronaretur, quā in quo peccatum esset, aut p cuius tolerantiam iugum Christi in hoc sæculo circum tulissemus. Quare post multa Hieronymus, Alia, inquit, carnis, alia corporis definitio est: Omnis caro est corpus, nō omne corpus est caro. CARO est proprie, quæ sanguine, uenis, ossibus neruisq; Carnis & corporis differencia.

D. IOACHIMI VADIANI

constringitur. Corpus autem, quanquam & caro dicatur, tamē interdum æthercum uel aereum nominatur, quod tactui uisuiç non subiaceat: & plerumq; uisibile est atq; tangibile. Paries est corpus, sed non caro &c. Et paulo infra, Deniq; (inquit) Apostolus in epistola sua ad Colossenses, uolens corpus Christi carneum, & non spirituale, aereum, tenue, demonstrare, significanter locutus est, dicens: Et uos cum essetis aliquando alienati à Christo, & inimici sensus eius in operibus malis, reconciliauit in corpore carnis suę per mortem. Et iterum: In symbolo fidei & spei nostræ post confessionem trinitatis & unitatis ecclesiz, omne Christiani dogmatis sacramentum, carnis resurrectione includitur &c. Et mox paulo, ad eundem Ioannem episcopum cōuersus: Hoc potius, inquit, adiunge, & dic, Quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Et proprie ad Thomam, Infer digitum tuum in manus meas, & manum tuam in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. Sic & nos post resurrectionem, eadem habebimus membra quibus nunc utimur, easdem carnes, & sanguinē & ossia: quorum in scripturis sanctis opera non natura, damnantur. Demum uelut concludens narrationem de carnis ueritate habitam, Hæc, inquit, est uera resurrectionis confessio, quę sic gloriam carnitribuit, ut non auferat ueritatem. Hucusq; Hieronymus. Qui in eadem epistola aduersum illos, qui

qui Christum non uere, sed apparetur, corpus exhibuisse tangendum, præterea edisse & bibisse aiunt, quo ueritatem naturæ humanæ, sed transfiguratae ostenderet, inter alia sic inquit: Quale est autem circa dicere dominum post resurrectionem quadraginta diebus comedisse cum Apostolis ne phantasma putaretur, et hoc ipsum quod comedit in carne & membris, uisus est in phantasma te confirmare? Aut uerum est quod uidetur, aut falsum. Si uerum est: ergo uere comedit & uere membra habuit: si autem falsum, quomodo res falsas ostendere uoluit, ut resurrectionem probaret? Nemo enim falso uerum probat. Et paulo infra, Quomodo inquit ueras manus & uerum ostendit latus, ita uere comedit cum discipulis, uere ambulauit cum Cleopha, uere lingua locutus est cum omnibus, uero accubitu discubuit in cena, ueris manibus accepit panem, benedixit, fregit & porrigebat illis &c. Eodem in loco, Quod Christus, inquit, ab oculis repente euanuit, non umbras aut phantasmatis, sed uirtutis dei fuit. Alioquin & ante resurrectionem cum pari modo euanuit, incorporeum fuisse dicere opus haberemus. Quid Magis (inquit aliquis) licet, domino non licet? Apollonius Thianæus scribitur, cum ante Domitianum staret in consistorio, repente non comparuisse. Noli (ait Hieronymus) potentiam domini Mагorum præstigijs adæquare, ut uideatur fuisse quod non fuit, & putetur comedisse sine dentibus, am-

D. IOACHIMI VADIANI

bulasse sine pedibus, fregisse panem sine manibus, locutus esse sine lingua, & latus mons trassasse sine costis &c. Porro quod clavis ingressus est ostium, eiusdem uirtutis fuit, cuius ex oculis euangelizare. Et paulo infra sic ait: Dic mihi acutissime disputator, quid est maius? tantum terrae magnitudinem appendere super nihilum, & supra aquarum incerta librare? an deum transire per clavam portam, & creaturam cedere creatori? Quod maius est, tribuis: quod minus est, calumniaris. Idem Hieronymus in eadem epistola, uelut exerta manus tellum in Origenistarum phalangem uibrans, de catholicâ resurrectionis fide sic afferit: Ego libere diccam, & quanquam torqueatis labia, trahatis capillum, applaudatis pede, Iudeorum lapides inquiratis, fidem ecclesiae apertissime confitebor. Resurrectionis ueritas catholicæ, sine carne & ossibus, sine sanguine & membris, intelligi non potest: ubi caro & osa, & sanguis & membra sunt, ibi ueritas est ut sexus diuersitas sit: ubi sexus diuersitas est, ibi Ioannes Ioannes, Maria Maria &c.

Hæc ex Hieronymo, tanto uiro paulo fuisse uolui referre, utili nostri non Origenistæ modo, sed plane Eutychiani, cernerent, locabilemne carnem Christi & symmetria corporali circumscriptam fecerit docto[r] ille catholicus, an minus? & an nos primi sic de ueritate carnis dominicæ glorificare senserimus, an magis antiqui illi patres et sancti? præterea constare posse illius exemplo quomodo scripturas

scripturas de carnis Christi ueritate & euidentia intellexerint: quas illi tamen non cum Hieronymo, sed cum Martione, aut Eutychie, ad spectrum ascitum & friuolum fantasma referre perguntr, utcumq; dissimulant, & carnē prædicant in Christo nostrā carni communem. Idem autem quod à Hieronymo dicitur, video & Augustino placeat & Ambrosio, præterea & Gregorio, & his omnibus antiquiori Hilario, ex ueruissimis autem Irenço & Tertulliano, ut Latinos modo solos non minem, eosq; in primis qui columnæ esse ecclesiæ existimantur. In totum autem non consequitur, illa de causa naturæ proprietatem amittere uideri corpora, quæ Apostolus propter gloriam resurrectionis, spiritualia uocat. Si enim corpus omnne substantia est corporea, sequitur ne spiritale quidem corpus ab illo genere eximi posse, quod de animali uiuo & spirituali glorificato prædictatur, ad utrumq; eodem modo se habens: nō enim minus corpus est, excitatum à mortuis & inducum gloria, quam quod terrestre, caducumq; & mortale existit.

Negi ideo spiritualia dicuntur, ueluthoc quod spirituale corpus, aliqua mutatione in spiritum uertatur et abeat: sed quia defecata mortalitatis cōditio nibus, uitute immortalitatem donāte subsistunt & permanent. Vnde diuus Augustinus lib. de Cœlia. Dei 13. Sicut, inquit, corpora ista quæ habent animam uiuentem, nondum spiritum uiuiscant.

spirituale  
corpus  
quid uocet  
Paulus.

D. IOACHIMI VADIANI

tem, animalia dicuntur corpora, nec tamen ani-  
mæ sunt, sed corpora: ita & illa spiritualia vocan-  
tur corpora. Absit tamen ut spiritus ea credamus  
funera, sed corpora carnis habitura subsistam,  
sed nullā tarditatem corruptionemq; carnalem,  
spiritu uiuificante passura: tunc iam non terre-  
nus sed cœlestis homo erit, nō, quia corpus quod  
de terra factum est, non ipsum erit, sed quia do-  
no cœlesti iam tale erit, ut etiam cœlo incolendo,  
non amissa natura, sed mutata qualitate conve-  
niat. Hæc Augustinus. Manente ergo natura car-  
nis in Christo, necesse est & conditionem corpo-  
ris carnalis in membra & artus dislocati & forma-  
ti, manere: quod & Hieronymus asserit, & cum  
eo significater Hilarius, qui ea de causa locabilis  
facit domini corpus in cœlestibus, quia per glori-  
ficationem de naturæ corporeæ substantia nihil  
prorsus amiserit. Contra uero diuina natura in  
Christo manente, necesse est dicere, dominum no-  
strum Iesum, nullius loci circumscriptione teneri;  
multisq; in locis simul esse, & in medio omnium  
credentium consistere, imo & in cordibus creden-  
tium per fidem habitare. Deus enim ut unus &  
uerus est, ut lib. 7. de Ciuit. D. Augustinus ait, ita  
idem ubiq; totus, nullis inclusus locis, nullis uit-  
culis alligatus, in nullas partes se'c'tilis, ex nulla  
parte permutabilis, implens cœlum & terram pre-  
sente potentia, non absente natura. Quæ omnia  
cum clarissimis scripturis niantur, ambigendum  
non

non est, quinetiā ante resurrectionē, sic in domini  
co corpore, siue ut rectius loquar in Christo, uer-  
bum fuit, ut interim & in parte esset, & cœli circu-  
lum clauderet, atq; omnibus, ut Hieronymus ait,  
infusus esset & circumfusus, hoc est, ut cuncta pe-  
netraret interior, & cōtineret exterior. Ut inde pa-  
lam sit, corporis paruitatem & habitum corporis  
humanī, diuinæ uirtuti & maiestati neq; obfuisse  
in humilitate & ignominia, neq; nunc obesse in  
gloria: ubiq; enim deus potens & excelsus est, qui  
& in Christo est.

Pueriliter enim despere mihi uidentur, qui cor-  
pus domini, ne non maiestati diuinitatis respon-  
deat, ceu araneq; telam quam latissime extendunt,  
ne scilicet ullo angusto loco coerceri diuinitas, aut  
arctius cōtineri videatur. Non tenetur loco ullo  
deus qui in cœlis & in terra est, longe minus qui  
in Christo est, & est sui similis ubicumq; est, sem-  
per immensus, semper omnipotens, semper maie-  
statis incomprehensibilis: ut profecto apte dixe-  
rit Hieronymus, Stultum esse, illius potentiam  
unius corpusculi paruitate finire. Diuina quippe  
natura & dei sermo, inquit, in partes secari nō po-  
rett, nec locis diuidi, sed cum ubiq; sit, totus ubiq;  
est. Erat igitur uno eodemq; tempore Christus et  
cum apostolis 40. diebus, & cum Angelis, et cum  
parre, & in extremis maris finibus erat, in omni-  
bus locis uersabatur. Hæc Hieronymus, qui has  
conditiones in Christo ita distinguit, ut non per-

Corpus dos-  
mini clarifi-  
catum non  
extenditur  
per omnia,

## D. IOACHIMI VADIANI

mittat corpori nisi alicubi esse, deo autem ubique  
esse tribuat, nihil minus omni gloria, plenitudi-  
ne, potētia, uirtute, maiestate, corporaliter in Chri-  
sto manente. Enim uero si dominus Iesus in pa-  
minuitur gloria Chri-  
tui.  
fione sua & morte, hoc est, in supremæ humilita-  
tis & miseriæ articulo, eam gloriam & maiesta-  
tem suam nihil minus habuit in cœlo & in terra,  
ut ipso in cruce contempto & deriso, animaq; ef-  
flante, terra contremuerit, petræ dissiluerint, ue-  
lum templi scissum sit, sepulchra hiarint, multis re-  
surgentibus, solq; ipse qui oculus est mundi,  
deliquio fuerit obscuratus, corpusculo eius tunc  
non in uno solum uerum etiam contemptibili et  
infami loco in diectissima hominis conditione,  
pendente & affixo: quid ridiculi metuimus, ne, si  
humanum illi iam transfigurato corpusculum  
tribuimus, partē gloriæ eius imminuamus, & in-  
super id doceamus, ne uidelicet uere, & etiam cor-  
poraliter adesse credentium cœtibus possit.

Ne animam  
quidē Christi  
stūbiq; esse Iam cum homo uiuus & uerus sit Christus, ex  
anima rationali & corpore humano, ut supra  
quoq; dictum est, cōpositus, uel hoc indicio con-  
stare deberet, ubiq; corpus domini non esse, quo-  
niam anima eius corporis ubiq; esse nequeat, etiā  
si corpore soluta sit. Hoc enim de anima Christi,  
a corpore soluta per mortem, palam scripturæ lo-  
quuntur, & ueterum confirmat authoritas. Ad in-  
ferna autē a cruce & morte non nisi anima Chri-  
sti diuinæ naturæ sociata, descendere, præterea &  
in

in Paradiso esse cum latrone, potuit. Et est nōtum, substantiarum etiam spiritualium, ut Angelorum & animarum, in uniuersum eam esse naturæ limitationem, ut licet loco excipi, & contineti superficie nequeant, quia indiuisibilis sunt, tamen definitione locali uel hic uel illic esse dicantur, sicut reuera simul ubiq; esse nequeunt. Esse enim ubiq; sic proprium naturæ diuinæ est, ut nulli propterea creaturæ uel corporali uel spirituali communis existat. Quare & à Dionysio ita separari uiderimus angelorū choros, ut superiores alios, alios inferiores statuat. Quin & Angeli dicti sunt, quod mittantur, & ministrent, ac munere seu legatorio fungantur, eadē causa ab Apostolo ἀπόστολῳ πνευματικῷ, ἐξ Ἰακοβίου ἀποστόλῳ, spiritus ministratorij, et qui ad ministerium emittuntur, Heb. 1. cap. dicti. Cuius rei exemplis sane confertissimæ sunt scripturæ. Non dicimus autem tum in cœlo fuisse Gabrielem, quum dominiculam uirginis ingressus salutationis mandatum est executus. Vnde & assumpta corporaliter specie sæpenumero apparuisse eos ex ipsisdem scriptis puris discimus: nec dubitamus quin qui ad eum modum hominibus apparuerint, sic in illa specie fuerint contenti, ut interim alibi non essent. Sane nec anima ulla humana, quamquam spiritualis & indiuisibilis atq; incorporeæ naturæ est, ita tamen in corpore est, uiuificans ipsum, ut extra ipsum simile esse non possit, & si soluta à corpore euoleat,

D. IOACHIMI VADIANI

pari ratione nec in corpore esse dici queat, quam  
quam ita in corpore tota est, ut in quolibet mem-  
bro & articulo tota sit et integra. Quod si spiritua-  
lis illa & indivisibilis substantia sic limitatur loco  
definitione, ut re ipsa exigui corporis Symetria  
contineatur, & non nisi in corpore esse uiui ho-  
minis anima dicatur, nec sit ullo modo extra cor-  
pus: consequitur profecto (nisi dara opera conten-  
dere & altercari pergitus) longe magis corporis  
naturam, quae in sua proprietate quantitatis & su-  
perficiei capax est, multis simul locis tribui, aut lo-  
co prorsus eximi, nequaquam posse. Nullum enim  
corpus dimensionis infinita est, ergo & locabile  
est omne corpus. At corpus Christi humanum  
est & naturale, dimensione finitum, quia huma-  
num, & distinctum artibus etiam in gloria, testan-  
te scriptura: ergo & locabile est, ut paulo supra ex-  
catholicis doctoribus Hieronymo & Augustino  
ostendimus. Siquidem si supra omnes cœlos exal-  
tatum Christum quis dicat, ubi locus fortasse na-  
turalis non est: tamen constat nihil minus corpus  
domini ob suæ naturæ proprietatem locabile esse,  
quod perinde est atque si extra cœlos loco ipso con-  
tineatur. Non enim nobis in praesentia mentio est,  
de loco modo continentem aut circumscribente, sed  
de ueritate corporis Iesu, sua natura aut locatio aut  
locabilis, differitur.

Spirituales  
substantiae in  
loco.

Sed ne philosophari uidear, ad scripturas res  
deo: quae ut dixi etiam spiritualibus substantijs lo-  
cado

ta designant. Animam enim Latronis in paradi-  
sum destinat in scripturis Christus. Et luger diui-  
nis anima in inferno detenta, non modo quia ab  
anima Lazarim agno hiatu sciuncta esset, sed etiam  
quod cum fratribus uiuis agere, & monere ipsos  
nequiret, Luc. 16. Cupit & Paulus dissolui, & ani-  
mam suam de corpore egressam ibi esse, ubi Christi  
stus agit in gloria. Quam locorum definitionem  
tanta securitate uereres afferuerunt, ut & Irenaeus  
libri quinti fine, demortuorum animas abditu  
quodam loco usque ad diem resurrectionis conti-  
neri, docuerit: & Augustinus ipse de receptaculis  
animarum non uno in loco scripsit. Porro & de  
subterraneis locis, in quibus animae crucientur,  
etiam Scholastici in Lombardum commentati, con-  
firmant. Diximus aliam rationem esse naturae in  
Christo diuinae, quae simul in Christo tota & si-  
mul ubique tota existat: per se quidem nec circum-  
scriptione nec definitione locabilis. Cum enim  
ubique esse deum dicimus, non hoc sentimus aut  
innuimus uelut omni in loco sit, cum in loco esse,  
ut iam dictum est, nequeat, iuxta illud Esaiæ 66.  
Cœlum mihi thronus &c. sed hoc significamus,  
quod quem sic ubique esse dicimus, nusquam non  
sit, quodque omnia permeat & replete. Desunt enim  
nobis uoces quibus incomprehensam illam ma-  
iestatem nec contentam usquam nec inclusam  
enunciemus. Vocabulum enim ubique, proprie-  
ad locum respicit, quod tamen quia nulli substan-

D. IOACHIMI VADIANI

tiæ creatæ cōuenit (nihil enim creatum simul ubi que est) dei nostri immensitatem haud inepte ex primit.

Error cor  
pus Christi per omnia extende  
tūrum apte loquantur, qui sic confundunt in Chri  
sto naturas, ut dicere audeant, corpus Christi glo  
rificatum & exaltatum sic ad dexteram esse dei, ut  
ubicunq; sit potentia, uirtus & maiestas dei, om  
nia mouentis & dispensantis, ibi etiam sit Christus in corpore suo gloriose (sic enim dexteram exponunt ad quam Christus homo sedeat) quo  
modo loquendi non minus carni ueræ quam ue  
ræ diuinitati loci conditionem subducunt, ut cum  
que & scripturis & patribus repugnantibus. In  
xtra quorum doctrinam sic potius loquendum fo  
ret, ut quocunque in loco dominus Iesus secun  
dum carnis suæ & corporis naturam existat, in co  
dem etiam deus uerbum, seu deus ipse, ut in filio  
hominis, totus existat, omni plenitudine diuinita  
tis &c. ut supra est dictum. Vbi enim Christus est,  
ibi uere deus est, nec è diuerso dicimus carnem uel  
corpus Christi esse ubicunq; deus est: naturas em  
cōfundunt nō defendunt, qui hoc modo loquun  
tur, nec aliud agunt Eutychiani q; ut carnis perte  
si, dominum nostrum humanis exuant, & natu  
ræ nostræ necessitatem in Christo cōculcent. Nec  
sequitur, ideo nos & diuinam naturam loco asse  
gere aut complecti, quod deum in corpore lo  
cibili Christi esse dicimus. Quanquam enim si  
gnificandi

Vbi Chris  
tus ibi de  
us: sed non  
ubi deus ibi  
corpus  
Christi.

gnificandi gratia, hoc sermonis modo utimur, ut deum definitione loci exprimamus, hic aut illuc esse eum dicentes: tamen scimus extra omnē con-  
trouersiam esse, quod nec definitione ita illi locus ullus determinatur, quin simul non in alio, dico, sed omni in loco, id est, ubiqꝫ sit, ut paulo ante est dictum. Proinde in precatione dominica, qua in cœlis esse patrem dicimus, secundum scripturam factum est, cœlum nobis & cœlestem uitam apud patrem per filium promittentē: præterea cum omnis motus, uirtus, agitatio & illuminatio cœlis tri-  
buitur, & ipsum uerbum de cœlo descendisse, & in mundum uenisse, scripture prodit, recte in cœ-  
lis patre qui ubiqꝫ est quærimus & adoramus, ta-  
cito omnium sæculorum consensu id facientes.  
Quippe & Christum receptum illō, ut unum cum patre et spiritu sancto deum, nusquam alibi  
suspiciēdum esse & Christus monuit, nullo in lo-  
co terrarum sese futurum ante aduentum suum  
testatus, & præcepit Apostolus. Eadē de causa fa-  
ctum est, ut deserere deus quosdā legatur, q̄sdam  
contra non deserere, ut Iosue 1. cap. dñs: Sicut fui  
cum Mose, ita ero tecum, nec dimittiam nec dere-  
linquā te. Et Iudith 13. Laudate dominum deum  
nostrum, qui nō deseruit sperantes in se &c. Qd'  
quidem ideo dicitur, ut inquit Hieronymus, non  
quod naturæ eius terminus ponatur, sed eorum  
merita describuntur, apud quos esse uel non esse  
deus dignatur.

## D. IOACHIMI VADIANI

**Epilogus.** Ut igitur finem faciamus, admonendum duximus, ex his omnibus quæ satis longa serie explicavimus, non aliud magis in animo fuisse ut docerem, quam ueritatem carnis Christi uerae humanae qualis è uirgine nata & in cruce passa est, substantia naturæ inuiolata in Christo, non pie modo credi ex scripturis, sed necessariam eniam esse creditu, partim propter mysterium communicationis carnis nostræ cum carne Christi, in quo summa redemptionis continetur, partim etiam, quod ueritate humanæ naturæ in Christo consummata & eleuata, simul omnia ecclesiæ mysteria & sacramenta elevari & subuerti contingere. Ut in promptu causa sit, cur adeo Martionis uæsaniam carnis ueritatem in Christo negantem, maiores nostri traduxerint & cōfutarint. Ut taceam quod mediator secundum scripturas nō erit dominus, nisi eundem ut uerum deum ita & hominem uerum in cœlestibus agere confiteamur. Accedit his quod resurgetium, & in cœlos ascensuorum corporum primitias esse Christum scripturæ confirmant. Quales autem primitiae, si plenâ naturam nostram Christus cœlis non intulit, aut quæ spes esse queat naturæ restaurandæ, si homini resurgentib⁹ de naturæ integritate subtrahitur?

Videor fortasse tibi Bullingere, more Andabitarum in tenebris uentilare gladium, nec habere Antagonistam quem feriam, aut quo cum pugnem, cum quod contendō & postulo nemo infidetur,

ficietur. Utinam ita esset, necessarent qui uetus illud agitare humanitatis Christi incendium pergeret instaurare; ut enim nihil dicam de Scholasticis, qui carnem Christi ueram speciei uisibili sacramenti naturaliter unientes, localem interim presentiam negant, & simul ubiq; hoc est, omnibus in ecclesijs tale corpus Christi consecrari & sumi, docent, nec aduertunt quantopere carnis ueritatem oppugnant, satis constat doctissimos Anabaptistarum & linguarum etiā peritos, non pauca dogmata ueterum hæresum mira confidentia innowasse, nec hodie deesse cum ingenio tum etiā doctrina præditos, qui ijsdem furijs agitati, nihilominora meditantur prioribus. Plerique & contentio animos addidit, dum altercandi libidine nihil non audent, & undeliber conuerrunt de scripturis etiam tortis et iugulo attractis, quo uictoriam quocunq; fuso parandam queant adipisci.

Boni autem consulimus horum suspicionem, qui cum uiderent nos cum Augustino & uererbis corpus domini certo aliquo in loco esse afferare, ueriti ne quid præfractius circa Eucharistiam committeremus, uere adesse illi corpus dominii & uere sumi in cœtu docuerunt, & simul vacuum usum signorum damnarunt. Non enim aliud nostri senserunt, carnem uidelicet & sanguinem domini in cœna uere edi & potari, nec nudis signis mysterium perfici aut nudis symbolis fideles participare, etiā si alijs atq; alijs sermonum

D. IO. VAD. EPIST. ORT.

formulis uariauimus. Edimus quidem uere p<sup>as</sup>/ nem, & uinum uere bibimus, cæterum non hoc fine, ut tam æstimemus signorum euidentiam, quam rerum ueritatem spectamus & sumimus. Harum enim graua symbola consecrata per uerbum, & à domino sanctificata, externo & uisibili usu rituq; in cœtu recipimus.

Hæc habui uir doctiss. quæ in præsentia dicere, ut quoniam certior fieri cupiebas de conditionibus illis à Christo sumptis, quid sentire, non qua decuisset, sed qua dabatur diligentia, homo nimirum occupatissimus, ad te perscriberem, idq; hoc minus denegarem petenti, quo certius mihi persuadebam boni te uel errata consulturum, si quæ ut in opere festinato commissem, tui maxime gratia suscepera. Cui sanè ad gratificādum ita sum paratus, ut si quando uel parum assequor quod uolo & urgeo, tamē hoc ipso pretium ope re respondeat, si quod nō daretur, saltē uoluisse me tuo nomine possem cōtestari. Vale. Sangalli

25. calendas Octobris. Anno domini  
M. D. XXXVI.

# DOMINI VIGILII

MARTYRIS ET EPI-  
SCOPI TRIDENTINI LIBRI

V. contra Eutychen & alios hæreticos, non recte  
de naturarum proprietate & personæ  
Christi unitate sentientes.

VITA DOMINI VIGILII MARTY-  
ris & episcopi Tridentini.



VIGILIUS patria Romanus illustribus  
ortus parentibus, Athenis liberales artes  
& sacras literas didicit, breuique; tantum  
sibi pietatis & eruditionis thesaurum  
per dei gratiam comparauit, ut annos natus uiginti ab  
Aquileiense episcopo, ad quem diuina declatus fuerat  
prudentia, pastor ordinaretur Tridentinorum, qui-  
bus mira fide & constantia euangelium Iesu Christi præ-  
dicauit, & potentiam beneficentiamque eius miraculis  
in Christi nomine designatis commendauit. Cæcis enim  
uisum & surdis auditum reddidit, mutorum linguas  
soluit, & demoniacos ac uarijs morbis uexatos san-  
xit. Præterea astilum in hæreses strinxit & hæreticos,

## V I T A

ut sinceritatem doctrinæ Apostolice plenè afferet,  
et purgatam ecclesiæ Christi contraderet. Extant ho-  
die quinq; eius libri scripti contra Eutychen: non ex-  
tant quorum in s. lib. meminut. Ait enim se libros alii  
quot composuisse de consilioriū decretis, et nominum  
religiosa nouitate, contra Sabellium Fotinum et Ar-  
rium. Porro cum diuinæ bonitati iam uisum esset fa-  
delem scrum in gaudium dominu sui introducere, pla-  
cuit ipsum prius martyrij quoq; corona decorare.  
Quemadmodum itaq; hæreses constanter impugna-  
rat, ita idolatriam nepharium funditus extirpatam  
cupiebat. Prostabant autem in ualle illa que flumen Sar-  
cham fundit, Saturnu æreum simulachrum, quod in  
cole homines feri et agrestes magna religione uenera-  
bantur. In hanc itaq; serendi euangelici seminis gra-  
tia profectus Vigilius, Randenam, fratribus germanis  
Claudiano et Maiorano, Juliano item presbytero co-  
mitibus, peruenit, ac protinus in ipsum idolum incidit.  
Zelo itaq; dei exactuans spiritu latus et alacer, Sa-  
turnum aggreditur, ac spurcum idolum deicet, frangit,  
et in præterfluentem cōiicit, ut turpissemæ rei uel me-  
moria apud posteros interiret, solius autem dominu no-  
men sanctificaretur et regnaret. Mox uero in basim  
scu fulcrum deiceti idoli residens uir dei, uerbum dom-  
ini illis qui eius facinoris spectatores fuerant preda-  
care

D. V I G I L I I . 39

cate coepit, testificans salutem ueram non aliunde uel  
sperandam uel petendam esse, quam à Iesu Christo  
dei & hominis filio. Cæterum barbari ex impij ido-  
lolatræ deum & religionem suam contumelia affe-  
ctant putantes, concurrunt & seruum Christi, ani-  
mans suam patri commendantem, lapidibus sternunt,  
obtegunt atq; collidunt, anno ætatis sue quadragesi-  
mo, episcopatus uigesimo. Floruisse uidetur sub Imp.  
Anastasio, quo tempore & Gelasius antistes Roma-  
nus, & Fulgentius Apher claruere, circa  
ter annum domini 500.

ARGUMENTVM LIBRI PRI  
mi D. Vigiliū aduersus Eutychen.

**A**git hisce libris Vigilius de diuina & humana natu-  
ra in una inseparabili persona Christi citra conser-  
tionem aut commixtionem remaneante. Disputatio-  
nem uero contra Eutychen diversum tradentem in-  
turus, indicat quanto cum fidei periculo offendiculog̃ bono  
rum subinde in ecclesiam noue irruant hæreses, ita ad de-  
xteram & sinistram exorbitantes, ut ægre regia liceat ingredi  
di uia, ac non potius in Scyllam incidas cupiens uitare Char-  
tybdim. Enumerat itaq; aliquot hæreſeon species, tandem ut  
eo aggreditur professos suos hostes Eutychianos, cōmisen-  
tes inter seſe naturas Christi atq; adeo unam modo Christi na-  
turam confitentes. Euincit ergo primo perperam unam modo  
asserit in Christo naturā. Deinde probat duas esse in Christo  
naturas, & utramq; suam retinere in unitate personæ proprie-  
tatem. Cum autem metuerent quidam naturarum proprietate  
diuidi personam, id est, inseparabilē nēxum subsistentiæ Chri-  
sti, docet propter naturarum proprietatem manentem, nequa-  
quam diuidi Christum, idq; demonstratione euidenti perita à  
facrosanctæ trinitatis arcano, & à conditione subsistentiæ  
hominis, similibus perquām appositis & elegantibus, facit.  
Vbi & illud ostendit, ideo non diuidi personam, quia Chri-  
stus dicitur Deus & Homo, interposita particula Et. Post  
illa refutat eorum quocq; errorem, qui utramq; quidem natu-  
ram in Christo ad glorificationem usq; satentur, à clarificatio-  
ne uero Christum unius naturæ, adeoq; & deſciatum predi-  
cant. Postremo cum Eutychianæ hæreſeos fontem & finem  
perstrinxisset, adhortatur Lectores uierum orthodoxorum  
malint sequi sententiā, quam hæreticorum male fanam  
innouationem: ubi & styli sui sterilitas  
tem excusat.

# DIVI VIGILII CON- TRA EUTYCHEN,

Liber Primus.



AGNUM ET GRAVE FI <sup>Periculum</sup>  
fdei.  
 dei periculum, quod nec facile sen-  
 tiri, nec facile à plerisq; ualeat eui-  
 tari, quoniā est pietatis specie ob-  
 umbratum, per multas orientis ec-  
 clesiās domestica contentione grassari compri-  
 mus, & eosq; pertinaci animorum obstinatio-  
 ne defendi, ut nec antiquorum patrum traditioni-  
 bus, nec religiosorum principum seueris sanctio-  
 nibus possit uel potuerit amputari. Pr̄uentus em̄  
 falsoe opinionis errore humanus auditus, ad ueris  
 rationem percipiendam durus & perdifficilis in-  
 venitur, quantiscunq; testibus urgeatur. Mauult  
 enim prauī dogmatis sententiam, qua semel infe-  
 ctus est, peruersus uindicare, quām hanc eandem  
 tantis diuinarum humanarumq; legum autiori  
 tatis diuinata salubrius immutare. Hæc ergo  
 pernitosi discriminis letalis & mortifera pestis  
 intra uenerandos ecclesiæ adytus, ita cuncta uelo-  
 tius populatur, ut eo plus noceat, quo minus no-  
 cere intelligitur. Sic enim teterimi anguis edicta  
 magisterio, inuidiare suarum ancipites laqueos  
 dextra leuaq; terendit, ut super angustum & ni-  
 mis arduum commeantibus itineris callem reli-

## D. V I G I L I I

querit. Si enim paululum in utramq; partem nū  
tantia uolueris inferre uestigia, illico capieris.

Nestorius  
et Eutyches

Inter Nestorij ergo quondam ecclesiæ Con-  
stantinopolitanæ, non rectoris sed dissipatoris,  
non pastoris sed prædatoris sacrilegum dogma,  
& Eutychetis nefariam & detestabilem sectam,  
ita serpentinæ grassationis sese calliditas tempera-  
uit, ut utrumq; non sine utriusq; periculo pleriq;  
uitare nō possint, dum si quis Nestorij perfidiam  
damnat, Eutychetis puratur errori succumbere:  
rursum dum Eutychianæ hæresis impietatem de-  
struit, Nestorij arguitur dogma erigere. Sed has  
inanum accusationum nebulas illi ostendunt,  
præcipue qui aut imperitiæ uitio aut contentio-  
nis morbo ægrotant, & dum penulantis animi su-  
percilio eriguntur, antiquitus traditas à patribus  
fidei regulas ob hoc solum despiciunt, ut male  
conceptas mobilitatum suarum sententias ecclæ-  
siæ intromittant, ob id etiam nobis, tanquam dia-  
lecticæ artis magistri, non tanquam uere Christi  
discipuli, ancipitis responsionis ineuitabilem syl-  
logismum tendunt, arbitrantes posse his proposi-  
tionum laqueis animas uenari Christianas. Sed  
nihil nouum, nihil peregrinum ecclesiæ fortitudo  
experitur, talibus penè ab uniuersis hæreticis que-  
stionum turbinibus agitata, triumphum de con-  
trarijs, & immobilitatem sortita est de aduersis.  
Nam dum se contra Sabellium armigero certa-  
mine aptaret, filij atq; spiritus sancti personarum  
extaniar

Sabellius.

extantias uindicat, qd alius sit qui gignit, & alius  
qui gignitur, & alius sit procedens, alius de quo  
procedit, alius mittens, alius missus, alius deus uer-  
bum qui de uirgine nascitur, alius pater qui per-  
manet semper innatus, alius qui per dispensatio-  
nem carnis cuncta nostræ fragilitatis officia ex-  
plete, alius pater qui sine his omnibus manet. Vi-  
deas illico Arrium tanquam triumphalis uicto, Arrius.  
rie suscepta materia latius insultare, & sub dete-  
stibili perfidia colla subiugare fidelium. Cogno-  
scite, inquir, potiorem esse qui mittit eo qui mitti-  
tur, inferiorem esse qui obsequitur, digniorē cui  
munificentia exhibetur. Manichēum itidem cum Manichēus  
de ueritate domini corporis obtundo, quod non  
fallaci simulatione & quibusdam illusionum præ-  
stigijs fuerit susceptum, tumentē virginis aluum  
allego, præstolati temporis moras cum diuinitas  
intra materni uteri hospitium usq; ad legitimū  
partus diem peregit, insinuo puerperæ cunas, ua-  
gum infantis, etatis profectum, ad ultimum pas-  
sionis ludibria, crucis patibulum, confixiones cla-  
uorum, aperti lateris cruentem, descensionem, se-  
pulturam, resurrectionem, et quod ipse quoq; ait,  
Vultis me occidere hominem qui ueritatem lo-  
quutus sum uobis: Et Apostolus, Sicut per unum  
hominem mors, ita & per unum hominem resur-  
rectio mortuorum. Et, Vnus mediator dei & ho-  
minum homo Christus Iesus. Hęc me contra Ma-  
nichēum perorantem Fotinus totum, uel ut præ Fotinus.

## D. VIGILII

paret cibum audioribus perfidiæ fauicibus nisi  
tur transuorare: rursus cum me cōtra eum armis  
uiuificę lectionis instruxero, & multa testimonio  
rum iacula filium dei, deum uerum esse contestan-  
tia uibrauero, necesse habeo inter cætera etiam il-  
lud opponere, quod in similitudine hominum fa-  
ctus sit, & habitu inuentus ut homo. In quo me  
loco Manichæus strangulat, & ad se recursum fe-  
cisse cum tota ouantis animi exultatione uocife-  
rat, sed multum est & nimis operosum talium  
sententiarum fraudulenta subreptio, libertatem  
catholicę fidei nimirur captiuare. Et quomodo con-  
tra has omnes hæreticos: pestes plenissime à no-  
stris maioribus disputatum est, quod etiam si in er-  
roris eorum destructionem nulli conderentur li-  
bri, hoc ipsum solum, quod hæretici sunt pronun-  
ciati, orthodoxorum securitati sufficeret.

Nunc istos uideamus, quorum mentē anguis-  
ille deterrimus à casitate fidei, quæ est in Christo  
Iesu, ita corrupti ut in apertum nefandæ prædica-  
tionis adulterium, frontem eorum impudentiæ  
callo obductam armauerit, ut iure in eis propheta  
ticum illud oraculum uideat redundare, Facies  
meretricis facta est tibi. Nam si non ita est, quid si  
bi ergo uult, quod nec tantis Conciliorum decre-  
tis, nec tam plurimis antiquorum patrum senten-  
tijs cedunt? Accusant, dum utriusq; naturæ Chris-  
tum fatemur, tanq; duos Christos, unum dcum,  
alterum hominem, iuxta infandum Nestorij erro-  
rem

Eutyches.

rem per dualitatem naturae uideamur adserere.  
Sed nos unum deum eundemque dei filium, & hominis filium, non duos profitemur, et ita uerbum intra uirginei uteri secreta carnis sibi initia concessisse, id est, incarnatum fuisse, ut tamen uerbi natura non mutaretur in carnem: item carnis naturam ita per suscipientis commixtionem in uerbi transisse personam, ut non tamen fuerit in uerbo consumpta, manet enim utraq[ue], id est, uerbi carnisque natura, & ex his duabus hodieque manentibus unus est Christus unaque persona.

Quis enim sacrilega opinione induitus eousque Cōtra illos qui unā modō naturam in Christo defendunt, desipiat, quis in tam abruptum erroris baratu se met ipsum iniiciat, ut filium dei, sine sua propria carne, quam in sacre uirginis utero ineffabiliter societatis permixtione ita sibimet adunauit, ut uerbum homo, & homo deus, idemque unus, non mutantur naturarum generibus fieret, neget hodie sedere ad dexteram patris, uenturumque indicare uiuos & mortuos, cum ipsum deum dixisse non nesciat, Cum uenerit filius hominis in gloria patris sui: non (ut saepe diximus) alius sit filius hominis, alius filius dei, sed usq[ue] adeo ostendere uoluit nostri generis naturam per commixtionis individuali unitatem non fuisse contumptam, ut se etiam in celo positum filium hominis dicat, ut per ueritatem nominis ueritatem agnoscas naturae manentis. Si ergo nunc usq[ue] manet uerbi intemperata natura, manet etiam, quā idem sine sui

## D. VIGILII

mutatione suscepit, humanitatis illibata natura,  
quomodo defenditur hodie una esse tantummo-  
do Christi natura? Si nunc est, profecto igitur ex  
duabus abolita est una. Quæ nam igitur? Si hu-  
mana? sola est ergo uerbi natura, & falsum erit,  
quia Christus Iesus sic ueniet quemadmodum ui-  
sus est ire in cœlum. Corporeus namque per nostri  
generis specie intuentium oculis idem dominus  
apparebat, sicut rursus in eadem corporis forma  
consurgentium oculis in consummatione tem-  
poris sese demonstrabit. Nam si harum duarum  
una extincta uel potius consummata, relicta est  
una, id consequens erit, ut dominus Iesus Chri-  
stus, aut deus tantummodo, non ut homo idem,  
aut homo tantummodo, non & deus idem im-  
piissime prædiceretur. Non itaque debemus per hanc  
stultæ prædicationis insaniam, dignationis digni-  
tatisque cassare mysterium. Dignationis scilicet,  
quia deus dignatus est fieri homo. Dignatus est  
autem, quia uerbi natura in carnis adunatione im-  
mutabiliter permanente, per unius personæ arca-  
num idem homo est deus. Et hic sensus catholi-  
cus naturarum inter sese coeuntium, unitatē non  
naturæ unionem admittit, dum duabus naturis  
ijsdemque manentibus unus deus idemque homo  
reditur Christus. Quia secundum istos qui una  
tantummodo contendunt esse naturam, aut uer-  
bi mutata est in carnem ut fieret una, aut carnis  
in uerbo cōsumpta est, ut extantia sui per sui abo-  
liuonem

ditionem amittens omnino esse non possit, ut sola uerbi remaneat: quod quam sit impium, quamque sacrilegum, aptissime inibi cognoscere uidetur, quisquis apostolica dogmata, non humana contenta sectatur. Quia uestro idem deus homo est, & idem homo deus est, ex utroque subsistens, utroque non carens, appetet eum utriusque esse naturae, quia neutrum potest amittere.

Cur autem isti, uel quomodo in ambabus naturis Proprietatis nomen refugiunt, nescio, num eosque perfidiae uelamine obducuntur, ut non uidant, non intelligant in Christo aliud diuinitatem, aliud humanitati eius congruere, licet simul utrumque commune. Ait namque discipulis suis, Si diligenteris me, gauderetis, quia uado ad patrem, quia pater maior me est. Et iterum: Expedite uobis ut ego eam. Si enim ego non abiero, paracletus ad uos non ueniet. Et certe uerbum dei, uirtus dei, sapientia dei, semper apud patrem & in patre fuit, etiam quando in nobis nobiscum fuit. Neque enim cum terrena misericorditer incoluit de cœlesti habitatione recessit. Cum patre enim ubique est totus pari diuinitate, quem nullus continet locus. Plea sunt quippe omnia filio, nec est aliquis locus diuinitatis eius praesentia vacuus. Vnde ergo, & quo se itum dicit, aut quomodo se ad patrem perrectum adserat, à quo sine dubio nunquam recessit. Sed hoc erat ire ad patrem & recedere à nobis, auferre de hoc mundo naturam quam suscep-

Proprietatis uocabus  
lum & proprie-  
tates na-  
turarum in  
Christo.

## D. VIGILII

perat ex nobis. Vides ergo eidē naturæ proprium fuisse ut auferretur & abiret à nobis , quæ in fine temporum reddenda est nobis, secundum astantium uocem angelorum, Hic Iesus qui receptor est à uobis, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntē in cœlum. Nam uide miraculum, uide utriusq; proprietatis mysterium, dei filius secundum humanitatem suam recessit à nobis , secundum diuinitatē suam ait nobis, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi. Si nobiscum est, quomodo ait, Venient dies quando desidereris diem unum filij hominis , & non uidebitis? Sed & nobiscum est, & non est nobiscum. Quia quos reliquit & à quibus discessit humanitate sua, non reliquit nec defseruit diuinitatesua. Per formam enim servi quā abstulit à nobis in cœlum , absens est nobis : per formam dei quæ non recedit à nobis in terris, præsens est nobis , tamen & præsens & absens ipse unus idemq; est nobis. Audi & aliam utriusq; naturæ proprietatem , Sepultum dei filium omnes legimus, omnes credimus, omnes pariter prædicamus , nec ullus audet ambigere Christianus. Iam hic si placet pacifica moderatione tractemus quid eius potuerit sepeliri, utrum uerbum anima, an corpus, an simul omnia? Sed per absurdum est aut uerbum aut animam dicere linteis obolutam : restat ergo ut solum corpus quod exanimis erat, quod etiam sepelientium manibus feratur,

batur, fuerit in sindone circundatum, & in sepulchri gremio conlocatum. Iam hinc argumentari non opus est, ubi se ipsa ueritas prodit, uerbum dei excubiorum officio non eguit, anima sepeliri non potuit, sola igitur caro sepulturæ officium habuit: & tamen dominum Iesum Christum sepultum apostolica authoritas docuit. Cernis ergo aliquid proprium esse carnis quod uerbi esse non possit, sed ideo etiam uerbi esse, quia uerbi est illa caro cui possunt hæc omnia aptius conuenire. Creuissé certè per ætatis curricula, & usq; ad robusta iuuenilis corporis membra peruenisse dominum Iesum Christum euangelia tradunt. O tu, qui nihil uis esse proprium carnis, putásne quod uerbum cum ea carne, qua ex uirgine natus est, per ætatum successiones & per incrementa membrorum pariter creuerit & in maiorem sui corporis molem solidatum sit? Noli, rogo te, cauillari, eligere unum quod uelis, crescere istud & grande cere domini Iesu Christi usq; ad perfectam iuuenilis ætatem peruenire cuius est uerbi an carnis? Scio quas angustias patiaris, quibus anhicles æstibus. Si dicas proprium esse carnis, proprietatem naturæ fateris. Si dicas et carnis esse & uerbi (quod quidem uerum est per unitatē personæ, non per proprietatem naturæ) si inquam dicas uerbi esse hoc ætatis augmentum, mutabile introducis atq; conuerribile dei uerbum. Forte enim quædam portio eius uirginalem uterum opplenerat, & ideo

## D. VIGILII

hæc exigua portio cum corpore suo sensit augmentum, dum illa maior quæ restabat, & quæ utrum virginis non intrauerat paulatim se se portioni suæ, quæ in homine habebat, per incrementa ipsius corporis admiscebatur, ut isto modo secundum uos, non totus neq; perfectus, sed modicus natus est deus, & per etatum congruentias factus est magnus. At si hoc impium ac detestabile est aut uerbi portionem dicere aut uerbum credere augmenti aliquid insita natura sentire, dum tam Iesum Christum clarum est etatis profectum habuisse, quis non uideat hoc proprium carnis esse quod creuit, non dei, qui nostri generis carnem assumpsit? Si in illa gloriosissima passione dominus Iesus Christus uel capite plesteretur aut quibuscumq; alijs membrorum abscissionibus multaretur, putamusne isti dicerent partem uerbi cum capite amputatam, & aliam partem cum manibus detruncatam? Et quia circumcisus est, cauendum est ne partem uerbi cum illa membris ex poliatione opinentur pariter amputaram, quod nec hodie detruncatis hominibus uerum dicat, quisquis salubrius & rectius sapit. Neq; enim fas est opinari, quod cum hominis manus absconditur, pariter animæ portio desecetur. Lumen quoq; istud uisibile per quaslibet oculorum passiones auferitur ab homine, nec tamen illud lumen auferitur ab anima, quo ualet inter iustitiam iniquitatemq; discernere. Vnum enim corporis, aliud animæ est

me est proprium. Illud interea est præ cæteris animo conuendum, quod si natura dei eiusdem conditionis esset, ut per se atq[ue] in se aliis passiōnum generibus subderetur, nulla esset profectio humanum corpus suscipiendi necessitas. Quid enim opus erat deum mortalium sibi naturam asciscere, si potuit natura eius mortis legibus subiacere? Quia uero mors quæ per transgressionis Rom. 5.  
prævaricationem obrepserat, morte perimenda Ose. 13.  
erat, sicut ipse dominus prædixerat dicens, Ego mors tua ô mors, necesse habuit dei filius altiore atq[ue] profundo dispensationis suæ cōsilio, ut quia ipse naturæ est impassibilis, passibilis naturæ corpus susciperet, in quo iniurijs & passionibus eosq[ue] afficeretur, ut usq[ue] ad mortis dispendium per mortis obnoxiam naturam perueniens mortem in suis sedibus perimeret, & cuncta inferni iura uietrici congressionis triumpho copulans ad superos repedaret. Vides ergo non ob aliud deum naturæ nostræ se permisisse ut moreretur, nisi quia eius natura mortalitatis conditione non tenetur, ac sic esse aliquid proprium Christo, quod diuinitati aliud, quod humanitati aliud conueniat, licet propter singularitatem personæ & mors ad diuinitatem, & immortalitas ad eiusdem dei refertur humanitatem.

Metuendum sanè est ne isti qui inanissimo me tu utriusq[ue] naturæ proprietatem idcirco nolunt accipere, ne uideantur duos Christos inducere, simili Propter nat  
turam pro  
prietatem mas  
nentem, non  
diuidi perso  
nam Christi

## D. VIGILII

liter nobis & de trinitate quæstionem aliquā mo-  
ueant, ut quia sunt quædā propria patris quæ nec  
ad filium nec ad spiritum sanctum pertineant, &  
sunt quædam propria filij, quæ nec ad patrē nec  
ad spiritum sanctum pertinent, & sunt etiam spi-  
ritus sancti nonnulla propria, quæ nec ad patrem  
nec ad filium pertinere monstrantur, tres à se inui-  
cem separatos criminētur catholicos colere deos.  
Sed ne forsitan inopinata quæstione turberis, au-  
di per singula, Suscepit carnis dispensatio nec ad  
patrē nec ad spiritum sanctum, sed ad solum per-  
tinet filium. Proprie enim filius non pater de vir-  
gine natus est. Rursus illa quæ sæpe audita est  
uox, Hic est filius meus dilectus, nec ad filium  
nec ad spiritum sanctum, sed ad patrem perti-  
net solum. Item columbæ species quæ in Iorda-  
ne apparuit, & ignearum linguarum multiperti-  
ta distributio, proprie ad sancti spiritus personā  
pertinere monstratur. Sed ne adhuc de his pro-  
prietatibus dubites, audi manifestius, Proprium  
patris est genuisse, & proprium filij natum fuisse,  
omnino reciprocari alteram personam, quod est  
unicuiq; personæ specialiter proprium. Si ergo  
hæ tres personæ habentes singulæ proprietates  
suas, quibus significandæ distinguantur nō qui-  
bus separantur, unus est deus, quomodo filius sal-  
ua utriusq; naturæ proprietate, non unus est Chri-  
stus? Nam et in homine, si subtilius disputare ueli-  
mus

Simile de  
homine.

mus, pleraq; inuenies ita proprietate quadam se-  
questratius distincta, ut si & ibi calumniari uolue-  
ris, de uno homine multos homines facias. Ho-  
minem ergo per ordinatas corporalium mem-  
brorum distinctiones, quinq; constare sensibus  
nemo est qui nesciat, qui sensus ita officij sui pro-  
prietatem naturaliter obtinent, ut nihil secum ha-  
bere commune, nihil sibi de alterius ualeant uin-  
dicare. Et ut omnia specialiter commemorem, Vi-  
sus ita ministerij sui proprium officium gerit, ut  
nec audire, nec odorare, nec gustare, nec cōrectā-  
re possit. Auditus ita naturæ suæ administrat offi-  
cium, ut nec uidēti, nec odorādi, nec gustādi, nec  
cōrectandi officium subeat. Odoratus q; sic fa-  
mulatus sui obsequio fungitur, ut nec uideat, nec  
audiat, nec gustet. Gustus etiā nec uidet, nec odo-  
ratur, nec cōrectatur. Tactus deniq; qui est ultimus  
sensus nec uisione fruitur, nec auditum percipit,  
nec odorem caput, nec gustum discernit. Et cum  
sint hę omnes membrorum species tam diuersæ,  
tam discretæ, ita naturalibus proprietatis sub-  
stiture, ut nihil communionis, nihil societatis ad-  
se inuicem habeant, sed priuato quodam & soli-  
tario iure propriæ functionis ministerium im-  
pleant, unus tamē idemq; est homo, qui quomo-  
do quinq; corporalibus sensibus, uaria proprie-  
tate se inuicem differentibus, constat, ita quinq; se-  
cundum istorum deliramenta personas habere  
debuerat, ut quantæ sunt proprietates sensuum,

## D. VIGILII

tanta esset & numerositas personarum. Dehinc  
inedia affici, comedere, sitire & bibere, sede-  
re & incedere, cubitum ire, & de somno surgere,  
algorem perpeti & æstibus uriri, licet non sint ani-  
mæ passiones ut ea aut patiatur aut agat, tamen  
hæc carnis sunt propriæ. Item sapere, intelligere,  
oblivisci, in memoriam reducere, lætitia efferri, tristi-  
tia deïungi, mansuescere lenitate, furore atque ira im-  
manescere, & quamplures plura his similia quæ per se  
qui longum est, licet non sine corpore agantur in  
anima, tamen animæ sunt propria, nec tamen  
quispiam ausus est uel audet dicere, hominē duas  
personas habere, in quo tantas proprietatum dif-  
ferentias cernit inesse.

Seductorum temeritas, quæ pro numero na-  
turarum, diuerseatatem ingerit personarum, apo-  
stolica est authoritate frangenda & penitus conie-  
renda. Apostolus certè nouerat Christum utriusq;  
esse naturæ, dum eum & hominem & deum eun-  
demq; prædicat unum. Hominem quidem dum  
dicit, **Vnus mediator dei & hominum homo**  
**Christus Iesus.** Et iterum: **Sicut per unum homi-**  
**nem mors, ita per unum hominem resurrectio-**  
**mortuorum.** Et de filio, inquit, suo, qui factus est  
ei ex semine Dauid secundum carnem. Et, Me-  
mor esto Iesum Christum resurrexisse à mortuis  
ex semine Dauid secundum carnem. Deum uero  
cum dicit, **Ex quibus Christus, qui est super om-**  
**nia deus benedictus in secula:** & quamplures his  
similia

similia quæ commemorare longum est. Qui ergo hunc eundem & deum prædicabat & hominem, ut ex utrisq; naturis unum ostenderet Christum, miror quomodo non moueat istos egregios nostri temporis calumniatores, quod unam Christo personam adscriberet, dicens: Ego si quid donauim in persona Christi.

Illud etiam solita temeritatis audacia reprehendere solent cum audiunt catholicos dicere, Deus & homo, arbitrantes huius syllabæ Et interpositione duas posse significare personas, sed quām inepit id opinentur ausculta. Quid enim est deus & homo, factus est quoq; non amittendo quod suum erat, sed suscipiendo qd nostrum erat: cum enim præmitimus in confessione, deus, & subsequimur dicentes, & homo, non solum deum manentem, sed & hominem adserimus subsistētem, ut nec deitas à se discedat, nec humanitas in deitatem dispereat. Videamus tamen ne forsitan auctoritate diuina hæc syllaba fuerit interposita, nam ita legimus, Et homo est & quis cognoscet illum? Et iterum Dauid, Mater Sion, dicet homo, Psal. 86. & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam alii<sup>Hiere. 17.</sup> simus. Cur igitur non simpliciter sine prælatione huius syllabæ dixit, Homo factus est in ea, sed præposuit dicens, Et homo factus est in ea? Vel alia prophētia Et cur præposuit? Debuit enim secundum istos dicere, Homo est & quis cognoscet eum? nisi quia sensus talis est, ut qui deum confi-

D. VIGILII

teris, & hominem quoqz factum simili confessio  
ne non deneges.

Christus  
glorificatus  
non amisit na  
turae huma  
noe proprie  
tatem.

Dicuntur sane isti (si tamen uerum est) Christum usqz ad resurrectionem eius ex duabus con  
fiteri naturis, post resurrectione uero unius eum  
esse satentur. Quod quā sit absurdum quāqz ines  
ptum ipsa rerum ueritate monstratur. Post resurre  
ctionem enim ad demonstrandam sui corporis  
ueritatem & comedit & bibit, & contrectandum  
se discipulis obtulit, dicens, Palpate et uidete, quia  
spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uide  
tis habere. Sed forsitan adhuc in terra positus uiri  
usqz erat naturae, postea uero quam ccelos ascen  
dit unius cœpit esse diuinæ. Et quid ergo ibi facit  
nomen filij hominis, si natura ibi non est huma  
nitatis? quomodo rei extanti inane nomen adscri  
bitur? quomodo nominis ueritas manet, si natu  
ræ proprietas abest? Deniqz dicit: Cum uenerit fi  
lius hominis in gloria patris sui. Et iterum: Sicut  
fulgur exiet ab oriente & apparet usqz ad occiden  
tem, ita erit & aduentus filij hominis. Et iterum:  
Veniens filius hominis, putasne inuenier fidem  
in terra? Daniel quoqz, Ecce, ait, in nubibus celi  
filius hominis ueniebat. Si amissa est ergo huma  
nitatis natura, cur eius est recensum uocabulum?  
an quia nomen opus erat, & res nominis tanqz  
non necessaria repudianda fuerat? Sic desipient  
quos nihil erroris sui atqz inepti puder. Ceterum  
dominus Iesus Christus ut ostendat nostri ge  
neris

Mat. 16.

Mat. 24.

Luc. 18.

Dan. 7.

neris naturam non fuisse consumptam, ueraciter se filium hominis dicit, secundum quā etiam patrem interpellat pro nobis, iuxta Ioannis apostoli uerba dicentis, Si peccauerimus, apud patrem aduocatum habemus Iesum, ipse interpellat pro peccatis nostris. Dicite ergo o Doctores egregij, cum paarem hodie filius interpellat, secundum deitatem suam, an secundum dispensationem humanitatis postular? Sed quantum perfidiæ uestræ intent o monstrat (qui perimentes humanam naturam solam adseritis esse diuinam) secundum deitatem interpellat, secundum deitatem aduocati officio fungitur, secundum deitatem sacerdotis ministerium implet, secundum deitatem etiam in nouissimo patri subiectus erit, quando eidem filio omnia subiecta fuerint.

Olim opperiebamur, diutius præstolati sumus, unde erroris uestrī riuiulus originem trahat & quod discursum faciat, tandem reperimus Euthianam amarissimam hæresim ex Apollinaris amarissimo fonte deriuatam, usq; ad cœnulētam Arrii uoraginem turbidis ferri meatibus, quibus in tantum perfidiæ copula iungitur, ut omnia ad diuinitatis contumeliam referat, quæ Christus secundum dispensationem carnis aut loquutus est, aut peregit, dum unam tantummodo diuinitatis contendunt esse naturam.

Vnde hortamur omnes homines nefandæ huīus perfidiæ sectatores, dum uita manet, dum

Fons & fl  
nis erroris  
huius.

D. VIGILII

pœniteri licet, erroris sui uitare sententiam, & Gregorij potius atq; Basilij & Theophili quoq; & Ioannis ciuitatis Constantinopolitanæ opinatissimi antistitis nec non & Cyrilli Alexandrini episcopi, & aliorum quam plurimorum qui antiqui tuis in ecclesia floruerunt, super utriusq; natura proprietate sectari doctrinam, quorum meas de hacre sententias extrinsecus offerimus perlegendas. Quæsto interea Lectorem utilitatē nostri sermonis non usq;quaq; despiciat, quia et si fortassis elegantiori orationis genere fieri potuisset, nos in stylum temperauimus ut rem potius q; uerba legentibus cōmendaremus: & maxime hoc opus excoigitato mentis eloquio inflari nō debuit, nec transferendi in Græcum necessitas aliqua adit, quia difficilius integritas sensuum in aliam linguam pari potest sermonis ueritate seruari.

Libri primi finis.

ARGUMENTVM LIBRI SE-  
cundi D. Vigilij contra Eutychen.

**Q**uemadmodum in fine primi libri de fonte Eutychianæ hæreseos dicere cœperat, ita nunc per initium libri secundi pie & docte indicat inde oriri exercitores in uniuersum omnes, cum scriptura non secundum qualitatem sui sensus perpendiculariter, sed in alias res propter gentis arbitrio distrahitur. Hinc uarias inter se hæreses conseruit, ut inde ueritatem inferat, ipsas se hæreses destruere, ueritatem confirmare. Priusquam uero Nestorius committat Eutychen, ostendit Christum duas habere formas, sed addit in ambabus unam esse eandemque personam. Mox copiosus utriusque naturæ mysterium & unius personæ arcanum explicat atque confirmat. Sub hac inter se illos componit, qui in hoc negotio non diuersitate sententiaz, sed uocis professione scinduntur, & se se mutuo odioſo hæretici nomine infectantur: adhortans interim ut posito inani metu affectibusque, se secundum scripturas idem loquantur omnes. Ea uero parænas us mirum quam nostris quadrat temporibus, quibus nonnulli eundem propè contentionis funem ducunt.

G

DIVI VIGILII CON-  
TRA EUTYCHEN  
Liber Secundus.

Nimia  
pietas.



ARIUS QVIDEM ET DI-  
uersus ex uno tamen fonte hæretice  
prauitatis error emersit, cardo pessi-  
mus & origo malorum, quæ ex sele  
cuctarum impietatum occasiones  
peperit, hæc est, dum cœlestium dictorum uirtus  
uitio male intelligentium temerata, non secun-  
dum sui qualitatē sensus perpenditur, sed in alias  
res pro arbitrio & uoluntate legētis, secius quam  
ueri ratio postular, deriuatur. Sed hoc ex omnium  
hæreticorum commentis cuiq; deprehendere per  
facile est, & alia impietatis occasio, quam mirum  
in modum minus cautis nimia pietas præsticit. Et  
eo multo satisq; dolendum exitialis perfidiae ma-  
lum inde impium fieri unde aliis pius existit, in-  
de miserabiles captiuitatis sortiri ærumnas unde  
libertatis potestas adquiritur, ibi erroribus impli-  
cari ubi omnis ignorantiae absoluitur error, inde  
perfidum fieri unde aliis fidelis est, eodem lumi-  
ne obcaecari quo aliis clarissime illustratur. Et ut  
hoc ita esse documētis manifestioribus pateat, Sa-  
bellij & Arrij, Manichæi & Fotini, Nestorij & Eu-  
rycheris sententiarum dogmata conferamus, qui  
bus ita eos sibi inuicem exitisse contrarios inue-  
nimus

nimus, ut quod magis mirum sit eorum errorue  
ritari testimonium dicat, & inconsonæ perfidore  
sententiae in unum rectæ fidei modulum conci  
nant, tropheumq; nostræ uictoriæ eorum cassa  
certamina gignant. Sabellij enim perfidia Arrii  
damnat errorem, rursus Arriani dogmatis error  
Sabellij impietatem excludit. Siquidem Sabellius  
Committuntur Arrius et Sabellius  
unius naturæ probabili quidem confessione de  
ceptus, trinitatis unam putauit esse personam, ut  
ex hoc quod trium una natura est, una intelligere  
tur esse persona. Contra Arrius tres substantias at  
que distinctas, sicuti ut uere sunt, personas acci  
piens, tres eorum dissimiles credidit esse naturas,  
& quod ad distinctionem pertinet, hoc iste ad di  
sparilitatem earundem retulit personarum, quam  
obrem & meritis & gradibus longe ausus est de  
finire. Huius igitur error ad confutationem Sa  
bellianæ impietatis proficiat, audiatq; Sabellius  
in tantum patris & filij & spiritus sancti tres esse  
personas ut eos Arrius & potestate dissimiles &  
natura diuersos audeat profiteri. Audiat rursus  
hic idem Arrius in tantum patrem & filium &  
spiritum sanctum unius potestatis uniusq; esse na  
turæ, ut Sabellius unam eorum dicat esse perso  
nam. Malum ergo tuum o Arri de illius corrige  
malo, & malum suum de tuo corrigat malo, ut  
bonum quod interq; nobiscum tenetis commu  
ne sit uobis. Nam bonum est quod tu Arri tres dicis  
esse personas, sed malum est quod eas & gradi

## D. VIGILII

bus & naturis longius separas.

Item tu Sabelli, bonum est quod unam dicas esse naturam, sed malum est quod unius naturæ ueritas unam cogit fateri personam. Adfero discepcioni uestræ compendium, imo nō ego sed Christus qui litium uestrarum contouersias, ut potest aequissimus cognitor, una uerbi sententia censuit dirimendas, dicens, Ego et pater unum sumus. Dicēdo igitur Ego et pater, discrevit quod Sabellius male confundit. Addendo autē Vnum sumus, uniuit quod Arrius male discernit, ut unum ad unitatem naturæ, sumus ad distinctionem proficiat personar. Tale est illud, Baptisate gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti, in uno, trium nomine, unam deitatis insinuans esse naturam. Ita iudex optimus inter noxias & letales Christianorum contentiones salutiferam iudicis sententiam tulit, ut proprio percat uitio, qui iudicis sententiam retractauerit.

Committuntur Manichæus & Fotinus.

Item Manichæus dum tantarum uirtutum miracula respicit, quæ dei filius operatus est, non uult eum hominem confiteri. Fotinus dum in eo in naturam nostri corporis attendit, deum non iudicat. Ille ut seminet uirtutes, iste ut infirmitates repleat. Ille deitatis præconia, iste humanitatis allegat. Illum maiestas tanti nominis ab humanitatibus professione reuocat, istum humilitas iniuriarum quas deo cernit indignas in hominis tantum cōfessione retractat. Illum miracula auocat, istum passiones

passiones retardant. Ille deitate fallitur, iste humanitate offenditur. Ille dicit deus est, iste dicit homo est. Grande miraculum, ut expugnatione sui ueritas confirmetur, ut uerum uerq; dicat, dum uerq; mētiatur. Audi ergo Manichæe, quod deus sit, uerum dicis, qd & homo non sit, falleris. Audi Fotine, uere homo est ut adseris, licet nō sicut adseris, sed idē & deus est, quod impie refugis, in tantum deus ut Manichæus hominē neget, in tantum homo ut tu deum esse non credas. Cum igitur ambo uobis contrarij sitis, ambo nobiscum fatemini, longe separati estis, in medio est uia, quā reliquistis, unus hinc, aliis inde huc ad nos uenite, & uos inuicem conuenite, transeat unus in alteri us sententiam, ita ut non relinquat suam, sit uobis commune quod priuatum habetis, fateatur ille hominem, confitere tu deum, & pro ueritate à proprio tandem errore discedite.

Veniamus nunc & ad Nestorium atq; Eutychē, qui nisi solent per uniuersum orientem serenitatem catholicæ fidei atris perfidiq; nebulis obumbrare: & licet scelerata doctrina cum suis fuerit authoribus refutata, eius tamen sectatores nefandi, amplam temporis occasionem nacti eosque pernitiiosa et letalia sœui dogmatis uenena diffundunt, ut quod authorum grassatio perpetrare nō uoluit, horum pestiferæ adsertionis late sauiens morbus totam penè ecclesiam fauicarit. Quibus quoniam competenter uno iam respondi libello,

## D. VIGILLI

nunc strictim, breuiterq; cassas eorum sollicitudines & inanes tumores ostendam. Certum est dominum Iesum Christum secundum catholicam fidem & præconia scripturarum duas habere natuitates, unam de patre sine tempore, alteram de matre sine semine, & harum duarum naturarum utramque gerens naturam, dei scilicet qua de patre natus est, & hominis qua est de matre progenitus, unus idemq; deus & homo est Christus. Gemina enim natuitas, geminam uno Christo dedit naturam, dum qui deus est de patre, idem & homo est de matre. Has itaq; naturas, quas ex utroq; habet parente, Apostolus duas nominat formas, dicēs de ipso, Qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinanivit formam serui accipiens. De quibus formis, siue quam ex deo patre habet, siue quam ex homine matre accepit, propheticu[m] uaticinio clarius constat expressum Esaia de seruili forma eius, quæ passionis uilitate quodammodo indecora apparuit, ita loquente, Inglorius, inquit, erit inter uirōs aspectus eius, & forma eius inter filios hominum. Et iterum, Vidi mus (inquit) eum, & non erat in eo species neq; decor, sed forma eius despecta & deficiens super filios hominum. Et hēc quidem de seruili forma, in qua uniuersas passiones, iniurias perulit, Esaias loquutus est. De diuinitatis autem forma, quæ de corem suum per sui impassibilitatem retinens, li-

cet passionis pulsata iniurijs, fœdari non potuit, David evidenter cecinit, dicens, Speciosus forma prae filij hominum. Cernis in una Christi persona, utriusqe formæ, id est, utriusqe naturæ mysterium contineri, forma serui indecora & de specta, forma dei speciosa in eo & pulcherrima prædicatur. Hæc alius quomodo libet accipiat, in terim propheticō atqe apostolicō præconio docimus Christum duas formas habere. Nunc do ceamus in ambabus unam eandemqe esse perso nam. Dicit Apost. Et ego quod donavi in perso na Christi. Claruit igitur Christum ex duabus manentibus naturis in unione perfistere perso næ. Nunc uideamus quo fuerint Nestorius & Eutyches errore decepti. Nestorius duas inducen do naturas, duas putavit esse personas, & ob hoc arbitratus est sacrilego dogmate duos Christos inducere. Eutyches respiciens unam perso nam, unam censuit esse naturam, & ob hoc huma nam ausus est denegare. Et quia est in Christo & naturarum proprietas & personæ unio, Nesto rius proprietatem attendendo naturarum, à per sonæ excidit \* unione, & duos putavit Christos, unum passibilem, alterum impassibilem esse. Et Eutyches unam intuendo personæ à naturarum proprietate desciuit, et ipsam diuinitatem adseruit passam. In tantum ergo nō sunt duo Christi, nec duæ personæ, ut Eutyches unam dicat esse natu ram. Rursus in tantum non est una natura sed

Vna et eadē  
in ambabus  
persona.

Committuntur Nesto rius & Eu tyches.

Forte unitas  
te legi debet

## D. VIGILII

duę, ut Nestori<sup>o</sup> duos Christos, duasq; psonas dicat esse. Itaq; Nestorius ut impietatē sui dogmatis muniatur, quo alter in passione uult intelligi Christum, illo uitetur Apostoli testimonio ad Heb. ita scribentis, Nam paulò minus quam angelos minoratum uidimus Iesum gloria & honore coronatum, ut sine deo pro omnibus gustaret morte. Rursus Eutyches, ut deitatē subiçiat passioni, item nihilominus producit Apostolum dicentem de principibus sæculi, qui sapientiam dei non cognoverunt, Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Vides quanti periculi res sit, aut unam in Christo non credere personam, aut duas nolle profiteri naturas. Magni ex utroq; latere insidiarum laquei prætenduntur, quos prophetico spiritu Salomon cautius præcepit euitandos, merito dicens, Quia in medio laqueorum ambulans. Hinc enim Eutyches, inde Nestorius armati perfidiae mucronibus adstant, dum unam contra Nestorium Christi defendo personam existimor secundum Eutychen humanam negare naturā. Dum contra Eutychen duas adsero naturas, existimor secundum Nestorium duas profiteri personas, quia ille duabus naturis duos Christos, duasq; personas credit adscribendas.

Sed ut horum impios & detestabiles catholico sensu refutemus errores, utriusq; naturæ proprietatis mysterium, & unius personæ tractemus argumentum

anum, Vnus est Christus, idem deus idemq; ho-  
mo, habens in uerbis & gestis, unum quod huma-  
nitatis, aliud quod propriæ diuinitatis eius natu-  
ræ conueniat, licet utrumq; simul ad unam eius  
personam uel substâtiā pertineat quod dictum  
est. In principio erat uerbum, & uerbum erat a  
pud deum, & deus erat uerbum, hoc erat in prin-  
cipio apud deum. Et quod ipse ait, Ante Abrahā  
ego sum, non potest ad humanitatis eius referri  
naturam, quæ initium sumpsit ex uirgine. Rur-  
sus quod de eo dicitur, Puer autē crescebat & con-  
forrabatur, repletus sapientia, & gratia dei super-  
eum, & cum esset annorum 12. ascendit cum pa-  
rentibus Hierosolymis. Et quod infertur, Iesu au-  
tem proficiebat ætate & sapientia, & gratia apud  
deum & homines, non potest deitatis eius natu-  
ræ congruere. Quia deitas nec ætatis profectum  
accipit, nec aliquod sentit augmentum, nec curri-  
culo subiicitur temporum, nec numero calcula-  
tur annorum, & ut omnia breuiter dicam, non est  
unius naturæ, licet sit unius personæ. Patrem fibi  
æqualem dicere, & patre se minorem adserere, ini-  
tium non habere, & ex initio subsistere, hęc est na-  
turæ pprietas, ex quibus unus dei filius, idemq;  
hominis filius subsistens unam gerit personam,  
ergo hic unus atq; idem & æqualis patri secun-  
dum deitatem, & inferior est patre secundum hu-  
manitatis naturā, atq; ita nec initium habet, quia  
deus est, & habet initium, quia idem deus homo

## D. VIGILII

est. Si ergo me interroges, utrum Christus habeat initium an nō habeat. Respondebo tibi, Et habet & non habet: habet secundum humanitatē suam, non habet secundum diuinitatem suam. Cum dico, Habet uel non habet, ad personę pertinet unio nem: cum dico, Secundum diuinitatem & secundum humanitatem, ad naturarum pertinet proprietatem. Qui sensus ut apertioribus clareat documentis, adhuc manifestiora ponamus.

Verbum dei credimus descendisse de cœlo, sine carne, sine hominis appellatione, sic tamen ut non desereret cœlos. Hoc uerbum uirginali uestro incarnatum, non in carnē mutatum, hominis filium factum & appellatum. Si quis aliter credit, sine dubio anathema est. Si quis dicit hominem, id est carnē, de cœlo descendisse, profecto anathema est. Quid sibi ergo uult quod idem dominus ait, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo? Et iterum: Si uideritis filium hominis ascēdētē illuc ubi prius fuerat. Ecce filius hominis legitur descendisse de cœlo, cum constat solum uerbum, id est, nudum sine carne, sine hominis appellatione descendisse de cœlo. Ecce caro, id est filius hominis, legitur tunc fuisse in cœlo, quæ nunquam inde descendit, & quæ illuc necedum ascenderat, sed hoc est unius personæ mysterium, hoc unius Christi ex utroq; subsistentis sacramento, hoc utrarumq; natura-

tum proprietatis arcanum. Quia enim uerbum cum carne ita est inexplicabili modo unitum, ut ipsum uerbum caro dicatur, licet deus non sit caro, quia non est in carnem mutatum, ut caro dicatur deus, licet non sit in deitatis naturam mutata, sed uerbum propter carnem suam homo sit, & caro propter uerbum deus sit, & quicquid est proprium uerbi sit commune cum carne, & quicquid est proprium carnis commune cum uerbo sit, quomodo uerbum & caro unus est Christus & una persona. Iccirco propter hanc communionem, quam, salua naturarum proprietate, personæ unio præstar, & uerbum cum carne, id est, filius hominis legitur descēdisse de cœlo, cum solum uerbum sine carne descenderit, & deus legitur sepultus & in monumento tribus iacuisse diebus, cum sola caro sepulta est. Ergo secundum proprietatem naturæ sola caro mortem sensit, sola caro sepulturæ officium habuit. Secundum unionem autem personæ deus mortuus est, & sepultus, quia persona uerbi in carne est, quæ mortis dispendium sensit, ergo secundum proprietatem naturæ uerbum descendit de cœlo non caro, secundum proprietatem naturæ caro mortua est, non uerbum: item secundum unionem personæ & caro descēdit de cœlo, & uerbum est mortuum atq; sepultum. Cum ergo dicimus, dominum passum & mortuum, nō expauescat Nestorius, quia secundum unionem personæ dicimus. Rursus cum

## D. VIGILII

dicimus, dominum nec passum nec mortuum, quia est omnino impassibilis, non formidet Euthches, quia secundum naturae proprietatem dicimus, magisq; nec nos dicimus, sed scripturæ loquuntur. Nam dominum passum symboliter tenet authoritas & Apostolus tradidit dicens, Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriae crudifixissent. Rursum non deum passum, apostolica nihilominus autoritate docetur, Paulo ita ad Hebreos loquente, Nam paulo minus minoratum uidimus I E S V M, paulo minus quam angelos, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, ut sine deo pro omnibus gustaret mortem. Quid est igitur sine deo gustare mortem nisi quia uerbum immortale est, & passio secundum carnem est. Vnde & Petrus apostolus ait, Christo itaq; passo carne: passio ergo proprie ad carnem pertinet secundum naturam, ad uerbum autem secundum personam, quia & uerbi & carnis una est eademq; persona, ac per hoc deus & passus est & nō est passus, passus secundum unionem personæ, impassibilis secundum proprietatem naturæ.

Et ut hoc ipsum adhuc manifestius clareat, eidentioribus testimonij adprobamus. Constat dominum nostrum Iesum Christum sexta feria crucifixum, & ipsa die ad infernum descendisse, ipsa die in sepulchris iacuisse, ipsa die latroni dixisse, Hodie mecum eris in paradyso. Cator igi-

to igitur ipso die non fuit in paradysō nec in inferno, sed exanimis iacuit in sepulchro, anima per illud triduum in inferno, non in sepulchro: & iure tamen dicimus dominum Iesum Christum in sepulchro iacuisse, sed in sola carne, dominum Iesum Christum non derelictum in inferno, sed in sola anima. Et cum in his omnibus Christus, & in his singulis Christus sit, unus tamen est Christus, qui sic aliud fuit in sepulchro, aliud in inferno, ut tamē ipse unus atq; totus ubique fuerit, cum separatim per loca seipsum dispensauerit, ergo dicimus dominum iacuisse in sepulchro, sed in sola carne, & dominum descendisse in infernum, sed in sola anima. Sicuti dicimus hominem audisse uocem, sed solis auribus, & uidisse lumen, sed solis oculis: sic dicimus dominum passum, sed in sola carne, & dominum nō passum, sed in sola diuinitate, ac per hoc, quia & deus unus est Christus, & passus est, secundum id quod homo est, & impassibilis mansit, secundum id quod deus: quod breui sermone concludam, Passus est deus in unione personæ, non est passus in proprietate naturæ. Siquidem passionis iniurias etiam diuinitas pertulit, sed passionem sola eius caro persensit. Sicuti solis radium, uel flamme corpulentiam recte dicimus posse quidem gladio secari, non posse ramen dirimi: ita uerbum dei iure dicimus passionis iniurias pertulisse, non tamen passionem sensisse. Dicam adhuc manife-

## D. V I G I L I I

**Alias indi-** stius, Cōfixa est diuinitas clavis, sed ipsa penen-  
ri non potuit, si quidem uulneri locum caro pate-  
facta apperuit, nam deus tūnūsibilis atq; impene-  
trabilis mansit. Ita ergo suscipiendo passiones, &  
earum nō cedendo effectibus, apparet deum uer-  
bum impassibiliter passum, sed quia caro eius nō  
solum pertulit, sed & sensit & cessit, merito aciu-  
re dicimus dominum his omnibus passionum  
conditionibus sensibiliter affectum in carne sua  
sine sensu uel mutatione diuinitatis suæ, ergo per-  
ferre passionem naturæ est utriusq; sed cedere pas-  
sioni non est utriusq; naturæ cum sit unius deniq;  
personæ.

**Componun-** Hæc multi orthodoxorum minus attenden-  
tur dissentientes in hac sententia, aut attendere nolentes, uel discernere non ua-  
lentes, in duas sese partes, non diuersitate senten-  
tiæ, sed uocis professione diuiserunt, ut id quod  
eodem modo pronunciare formident, inutili pro-  
fecto atq; superfluo timore, ut iure illud prophe-  
ticum eis possit aptari, Illic trepidauerunt ubi non  
erat timor. Nam pleriq; orthodoxorum sensum utra-  
rumq; naturar; cum catholice exponat, catholice  
retineat, ideo tñ duas nolunt dicere naturas, ne se  
cundum Nestorium duas putentur fateri personas,  
à cōfessione utriusq; naturæ non corde, sed uoce  
tantummodo recedentes. Quodam enim circui-  
tu expositionis utuntur, ut duas se credere ostendant,  
sed duas nudo sermone non pronunciant.  
Nam cum credant atq; fateantur non hominem  
sed

sed uerbum descendisse de cœlo, eundemque sic in  
uirginis utero incarnatum, id est sic carnem assum-  
psisse ut non mutaretur in carnem, sic uerbum ho-  
minem factum, ut deus uerus maneret, sic nostram  
adsumpsisse naturam ut non mutaretur, nec abince-  
ret & suam, sic deum hominem, & hominem deum  
factum, ut non fuerit tamen utrumque consum-  
ptum, quis non uideat hoc sensu duas apper-  
te adstrui atque demonstrari naturas? Quod ergo  
uera fidei expositione colligitur atque animi sen-  
tentia retinetur, cur superfluo timore uocis profes-  
sione taceatur? Rursus alij timentes ne Apollinaris  
& Eutychetis dogma incurvant, nolunt dicere  
deum passum & mortuum, cum unam eius cre-  
dant esse personam, & hunc eundemque ac deum  
fateantur & hominem. Si ergo unus est, sicuti &  
est, cur eum formidas dicere passum, quem non for-  
midas credere unum? nec audes dicere alterum se-  
cundum Nestorij impium sensum? Ecce sunt ti-  
mores inanissimi & sollicitudines uanae, quae fe-  
cerunt orthodoxos haereticorum sibi nomina im-  
pingere, dum uoce depromi palpatur, quod ex-  
prestius corde clamatur. Qui enim uolunt duas  
ore fateri naturas, quas fidei expositione deuen-  
dunt Eutychianistæ reputantur, cum non sint.  
Iiem qui duas unius Christi naturas publice pro-  
fitentur Nestoriani putantur esse, cum non sint.  
Et uideas eos lucretiosis quibusdam & omnila-  
mentatione dignis insultationibus haereticorum

D. VIGILII LIB. II.

nomine se inuicē accusare. Tu, inquit, Eutychianus es, & tu Nestorianus es, apostolicæ sententiæ in iorū oblii, dicentis: Videte ne cum inuicem accusatis, ab inuicem consumamini.

**Gal. 5.** Rogo uos cum sensu incolumes sitis, cur uocibus insanitatis? cur peruerso uocis timore erratis, qui recta fidei stabilitate mentis professione consistitis? Cur metuis duas dicere naturas, cum Apostolus non formidauerit duas dicere formas? Vnam qua deus est, alteram qua idem deus homo est. Cur formidas duas dicere naturas, quod Athanasius, omnium ecclesiasticorum uirorum iudicio probatissimus dixit. In qua fidei professione cuncti Græcae linguae tractatores, quod superiore libello commemorauit, & omnes Latini sermonis apostolici uiri, id est, Hilarius, Eusebius, Ambrofius, Augustinus & Hieronymus, cœlestibus imbuti doctrinis simul pariterque cōsentient. Et tu quare times dicere deum passum, cum hoc ubiqꝫ apostolica præconia contestentur. Perpendite & libelli huius expositionem, & nolite mente re confiteri, quod non durum est corde semire. Quia nihil corde prodest credere ad iustitiam, nisi & ore confessio fiat ad salutem: unde Propheta ait, Iustitiam tuam nō abscondi in corde meo, ueritatem tuam & salutare tuum dixi. Fatemini igitur ore quod corde tenetis, ut diuina humanitas & humana diuinitas propicietur uobis.

Libri Secundi finis.

## ARGUMENTVM LIBRI

Tertij D. Vigilij contra Eustychen.

**Q**via Eutyches non tantum unam credebat esse uerbi & carnis naturam, sed præterea cum Valentino & Martione carnem Christi negabat assumptam esse de utero uirginis immaculatæ: nam de cœlo tenui aqua transit per cannam arbitrabatur delapsam, Vigilius per initium tertij libri eum quoq[ue] errorem confutat, afferens dominum Iesum nostram carnem, id est, uere humanam assumisse de intemerata uirgine Maria. Idq[ue] facit primo manifestis & apertis scripturæ locis, deinde figuris scripturæ propheticis: quibus item contra Fotinum utriusq[ue] naturæ mysticarum afferit, ostendens nequaquam sufficere ut unam confitear naturam sine altera. Sed libet ipsius authoris epilogum ex calce libri huc transcribere. Tertio hoc libro, inquit, irreputabilis, quantum opinor, diuinæ scripturæ autoritate dominus filium dei sicut de patre eandem diuinitatis, ita etiam de maiore humanitatis habere naturam: & quod ros coeli & germen uel fructus terræ propter urasq[ue] naturas fuerit appellatus, iniuncta nihilominus & perspicua assertione monstrauimus. His totius libri summam breuiter complexus est.

H

# DIVI VIGILII CON TRA EVTYCHEN,

Liber Tertius.



VONIAM EVTYCHIA<sup>m</sup>  
na hæresis in id impieratis prolapsa  
est errore, ut nō solum uerbi & car-  
nis unam credat esse naturam, ue-  
rum etiam hanc eandem carnem  
non de sacro Mariæ uirginis corpore adsumpia,  
sed de cœlo dicat (iuxta infandum Valentini &  
Martionis errorem) fuisse deductam, ita pertinaci-  
ter uerbum carnem adserens factum, ut per uirgi-  
nem ac si aqua per fistulam transisse uideatur, nō  
tamen ut de uirgine aliquid quod nostri sit gene-  
ris adsumpsisse credatur, optimum duxi etiā hanc  
impieratis partem ueritatis assertione destruere, et  
omnem terri dogmatis nebulosam caliginem pe-  
nitus dissipare, maxime qd multum ad uiriisque  
naturæ confessionis ueritatem proficiat, diuinis  
approbare testimonij, filium dei humanum cor-  
pus de uirginis carne sumpsisse.

Quod nos  
stram carnē  
ex uirgine  
assumpsit  
Christus.  
Ergo quia isti secundum rectiorem catholicę  
fidei tramitem & Niceni authoritatem conciliij  
fatentur filium dei, non extrinsecus, non ex nihilo,  
sed ex patre genitum, eiusdem cuius pater est  
esse naturæ, ut ueritas generationis in eo præci-  
pue cognoscatur, si in filio paternæ naturæ pro-  
prietas

Pietas nō negatur, admonendi secundum hanc  
cōfessionis regulam, hunc eundem filium de uir-  
gine natum eiusdem profecto uirginis, carnis ha-  
buisse naturam. Nec hinc eos Ariana hæresis in  
solubili quæstionis laqueo retineat obligatos, ta-  
li obiectionis syllogismo utens, Si filius dei na-  
tus ex homine matre, nihil ex ea habuit quod hu-  
manæ esset naturæ, sine dubio, natus ex patre, ni-  
hil ex eo habuit quod eiusdem possit esse naturæ.  
Quia si uere, inquit, adseritis filium natum de uir-  
gine naturam materni corporis nō habuisse, con-  
cedite & mihi pari conditione fatenti eundem fi-  
lium natum de patre, naturam patris habere non  
posse. Quid igitur, ô Eutychianistæ, submittitis  
cum uralidis obiectionibus perfidiæ colla, & de-  
mendacio transitis ad mendacium, ut fateamini fi-  
lium ex patre genitum, paternę diuinitatis exortē  
esse naturæ, sicut fatemini eundem filium de matre  
genitum, materni, id est, humani corporis naturā  
non habuisse, cur non magis si aliquid sapientiæ  
geritis, de ueritate mendacium destuitis, ut, sicut  
creditis & uere creditis filium ex patre sine tempo-  
re natum, patris habere naturam, ita credatis eun-  
dem ex matre sine semine natum, humani corpo-  
ris habere naturam? Quid enim angelus ad Ma-  
riā loquutus est, Spiritus sanctus, inquit, superue-  
niet in te, & uirrus altissimi obumbrabit tibi. Ide-  
oq; quod nasceatur ex te, ut quasi nudum quen-  
dam uerbi transitum per uirginem indicaret, sed

D. VIGILII

quod nasceretur, inquit, ex te, ut ueritatem corporis sumendā ex uirgine manifestius declararet. Nam quę fuit causa dei uerbo per uterum uirginis transsumtum facere, si nihil inde quærebat adsumere: aut quomodo ex semine Dauid natus, uel factus crederetur esse? Deniq; Paulus apostolus sic ait, De filio suo qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Et iterum ad Galatas, Misit, inquit, deus filium suum factum ex muliere: quomodo is qui erat factus est, cum fieri, eius soleat proprium esse qui nunq; ante subsisterat: nisi quia factus qd non erat, id est, homo non aliunde carnem adsumpsit, nisi ex hominē genere, ex quo factus est quod nō fuit. Vnde & ipse filius formatum se ex utero per Esaiā loquitur, dicēs, Et nunc, dicit dñs, formans me ex utero seruum sibi. Quid itaq; ex utero formatum accipitis, uerbum, an carnem? Si uerbum, ergo aut informe fuit, aut penitus non existēs, aut formatio ei aut essentia dederat ut subsisteret, aut ex subsistente informitate materia in melioris status qualitatē prouexerit, ut pfectus & integer appareret: qd opinari cum sit impium & sacrilegium, illud sine dubio restat, ut caro ex corpore formatā sit uteri uirginis, eaq; secundum naturā suā ueritatem diuinitati in eandem personam unita est, propter quam unionem personar, cum sit deus, seruus factus est patris, unde ad eum dicit in Psal. O domine, ego seruus tuus & filius ancillę tuę. Et iterum, De uentre matris meę deus meus

meus es tu. Qui si de uentre marris ancillæ nihil acciperet, non eum intra famuli appellationem seruiliis naturæ conditio detineret.

Sed iam uideamus quibus prophetia figuris <sup>Idem ostens</sup> utatur, ut ostendat eum ex materni corporis ueritatem ueoram carnis adsumpsisse naturam. Dicit enim <sup>ditur figura propheticis.</sup>

Esaias, Egressietur uirga de radice Iesse, & germen de radice eius ascendet, & requiesceret super eum spiritus domini. Quis dubitet germen de natura eiusdem uirgulti, unde prorumpit, subsistente suæ formam accipere: aut quis neget cuiuscumque ligni uirgam naturæ suæ germina propagare? Non enim aliud ex alio, sed sui generis speciem unumquodcumque lignum producere, et usitata rerum exempla testantur, & diuinarum literarum autoritas docet: quæ ita in Genesi loquitur, Et dixit deus, germinet terra herbam uirentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum, & cuius semen in semetipso sit super terram, et factum est ita. Si ergo generis suæ naturæ germina, & fructum propriæ qualitatis ex seculo ligna producunt, non dubium est, Iesseicæ radicis uirgam beatam uidelicet Mariam naturæ suæ germen, id est dominum Iesum, ex suæ carnis materia protulisse. In cuius inclynati sacramenti mysterium sacerdotis Aaron uirga, absq; opere et subficio terreni cultus, absq; consuetis & legitimis ruralis ministerij alimètis, in tabernaculo fœderis posita germinauit, manifesto satis & aper-

## D. VIGILII

eo designans indicio, Mariam virginem absq[ue] ter  
reni, id est humani seminis officio, Christum do-  
minus paritaram. Quod & in Daniele certo fu-  
turi mysterij præfigio demonstratur, dum sine ma-  
nibus excidi lapis de monte uidetur, id est Chri-  
stus siue humani coitus opere, de virginis corpo-  
re nasciturus ostenditur. Quis tam stolidæ atq[ue]  
mentis erit alienæ, ut lapidem credat de monte si-  
ne manibus excisum, & non credat Christum de  
corpore virginis sine semine natum? cum magis  
illud tantummodo visum, hoc autem ueracissime  
fuerit factum: qui ut crederetur quod mirabiliter  
futurum erat in Christo, mirabilis eiusdem facti  
præcessit imago, ut sicut lapis sine manibus exci-  
di de monte, & sicut uirga germinare potuit sine  
cespite, ita Christus de virginie nasci potuerit sine  
semine. Quod etiam Iacob in suis benedictioni-  
bus declarat, dum sub persona Iudei prophetiam  
appellat, & dirigit in Christum, dicens, Ex ger-  
mine, illius sine dubio uirgæ, quæ de lessie ortar  
dice, nouo miraculi genere, Christum dominum  
germinauit.

Videamus autem & cæteras similitudines, qui  
bus ostenditur Christus ex hominum genere car-  
nis adsumpsisse naturam. Vitulum ergo uel bo-  
uem, agnum & hædum, eundem dominum ap-  
pellatum, nec ipsi audent hæretici denegare. Le-  
gent itaq[ue] & inuenient, in principio Leuitici, ubi  
in

In mysterio futuræ passionis uitulus ad ostium tabernaculi testimonij immolari præcipitur, non simpliciter uitulum, sed uitulum ex boibus appellari, in quo utiq; Christum, non ut hæreti is placet, corpus de cælo deduxisse, sed ex hominum generare carnem adsumpsisse prophetia demonstrat. Nam suffecerat dicere uitulum, quid necesse fuit addere ex boibus? quis enim nesciret ex boibus uitulum nasci? nisi ut ostenderet Christum carnem ex hominibus habiturum? Abraham etiam huius non inscius sacramenti, uitulum de armento elegisse describitur, quem in typo dominicæ passionis occidisse dinoſcitur. Sed et agnum de ouibus, & hædum de capris synagoga offerre, per quod utiq; sanctus spiritus perfidiæ occasionses adimere uolens, apertius & expressius Christi carnem ex hominibus adsumendam his uerborum adiectionibus declarauit, quam tamen sicut ex hominum genere futurā ostendere uolens ait, Agnum ex ouibus, ita eandem sine humano semine suscipiendam demonstrans, per Esaiam loquutus est, dicens, Emite agnum dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiae Syon, ut in hoc quod iste agnus ex ouibus adsumi præcipitur, humanæ naturæ ueritas cognoscatur, in eo autem quo idem de petra emitte agnus iubetur, humani coitus ac seminis suspicio depellatur. Ita ergo ait agnum ex ouibus, & hædum de capris, & uitulum ex boibus, ac si diceret hominem ex hominibus. Quod

D. VIGILII

quidem alio in loco Moyses apertius dixit, Propheta de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi dominus deus tuus, ipsum audies in omnibus quae loquutus fuerit. Et iterum, Oritur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel. Et Apostolus, Manifestum est, inquit, quod ex Iuda ortus est dominus noster. Et ipse in propheta, Vnde illis, quoniā caro mea ex ipsis est. Manipulus quoque primitiarum ex segetibus offerri domino & consecrari iubetur: quis autem dubitet hunc manipulum primitiae dominum esse Iesum Christum? De quo lex ait, Omne primitium quod aperit uuluam, sanctum domino uocabitur. Unde angelus ad Mariam, Propterea, inquit, quod nascetur ex te, sanctum uocabitur, filius dei. Hic itaq; manipulus ex segere gentis Iudeorum assumptus, deo patri est per passionem mortis oblatus. De quo Apost. Primitię, inquit, dormientium Christus. Et iterum, Initium Christus, deindehi qui sunt Christi. Cuius oblati manipuli resurrectionis initium Ioseph etiam in sua uisione designat, dicens, Videbam ligare nos manipulos in capo, & surrexisse manipulum meum, uestrosq; manipulos adorare manipulum meum: quod in euangelio manifestissime cernimus adimpletum, cum resurgens à mortuis dominus, à discipulis suis legitur adoratus, sicut & in consummatione saeculi, quod illius campi significat messis, ab omnibus in forma serui, cuius manipulus gesit imaginem,

imaginem adorandus sit, & uidēdus. Sunt adhuc  
multa in figuris & similitudinibus aptata, quæ  
Christum indicent ex hominibus carnis habui-  
se naturam.

Sed ne hinc Fotinus, & ei similes, occasionem  
nutriendæ perfidiae conentur arripere, quod his  
testimonijs, unam tantummodo carnis Christi ui-  
detur declarari naturam, consequens & fidei ne-  
cessarium duco, illa etiam replicare ac proferre te-  
stimonia, quæ utramq; id est, diuinam & huma-  
nam in uno Christo docent esse naturam. Dicit  
ergo Apostolus, qd omnes benedictionum pro-  
missiones, quæ prophetia & lege continentur, ad  
Christi pertinent sacramētūm. Nam ita ait, Quot  
quor enim promissiones sunt, in ipso sunt. Vide a  
mus itaq; quō omnes sponzionum benedictiones  
mysticis in Christo figuris aptentur, & ibi repe-  
tiemus utriusq; sacramenta naturæ luce clarius  
emicare. Quia rata & firma benedictionis pro-  
missio esse non poterat, nisi perfectæ fidei, qua  
Christus deus & homo futurus adnunciabatur,  
contineret arcanum. Benedicens itaq; Isaac pa-  
triarcha Iacob & Esau filios suos, ad Iacob qui-  
dem sic loquutus est, dicens, Ecce odor filij mei si-  
cui odor agri cui benedixit deus. Det tibi domi-  
nus de rore cœli, & pinguedine terræ abundan-  
tiam frumenti uini & olei. Ad Esau uero, In pin-  
guedine (inquit) terræ & in rore cœli erit benedi-  
ctio tua. Quid apertius, quid lucidius de utraq;

Ex prophes-  
ticis figuris  
ostēditur us-  
traque in  
Christo  
natura.

D. VIGILII

Christi natura poterit proferri. Siquidem in rore  
cœli, uerbum, in terræ autē pinguedine caro eius  
significari monstratur. Iacob autem & Esau po-  
puli gentium & Iudeorum generis figuram, nul-  
lum opinor ambigere Christianum. Primus er-  
go populus gentium, cuius Iacob p̄f̄rmabat  
imaginem, à rore cœli, & à pinguedine terræ, id  
est Christo, qui est deus & homo, benedictionis  
fortitus gratiam, frumenti, & uini, & olei est abun-  
dantia cumulatus, id est, corporis & sanguinis  
Christi & chrismatis eius mysterio consecratus.  
Cuius trinç benedictionis multiplicem gratiam,  
Dauid etiam sacro cōmemorat carmine, dicens,  
A tempore frumenti, uini & olei sui multiplicari  
sunt. Esau autē qui prior secundum carnē fuerat  
natus, typum Iudaici populi apertissime gestans,  
dum in agro legis diutius immoratur, uagis et fu-  
gacibus carnalium sensuum infistis uenatib. uel  
transitorijs legis umbris & imaginibus obsecun-  
dans, serus uenit ad gratiam Ipse est ille euangeli-  
cus senior filius, qui dum ruris, id est, legis exerci-  
tio occupatur, alactiore iunioris industria p̄ue-  
nitur, & saginata uituli carnibus defraudatur, cas-  
so igitur & inani semetipsum labore conterens,  
audit à patre, Frustra in his omnibus exercebis, &  
ultra temporum conditionem legalium decreto-  
rum dogmatibus auocaris, arbitrans te ex lege be-  
nedictionis gratiam consequi posse, cum & tem-  
pus carnalis obseruandæ legis emensus sit, &  
pro

pro impossibilitate perficiendi, quæ lege iubentur, non tam benedictionem quam maledictum prævaricatores legis eiusdem sortiantur. Quia scriptum est, Maledictus omnis qui non permanebit in omnibus quæ scripta sunt in lege. Ideo scire debes, quod in pinguedine terræ, & in rore cœli, id est in Christo, futura sit benedictio tua. Jacob etiam benedicens Ioseph filium suum, ab huius sacramenti mysterio non recessit, dicens, Benedic te benedictionibus cœli desuper, & benedictionibus terræ habentis omnia. Quæ est benedictio cœli? nisi uerbum quod de cœlo descendit: & quæ est benedictio terræ habentis omnia? nisi Christi caro, quæ de terra, id est, de terreno uirginis corporis sumpta est, in qua omnium spiritualium gratiarum redundat ueritas & totius benedictionis fructus exuberat: in quo fructu, qui proculdubio Christus est, cunctorum fidelium benedictio consumatur, ut Dawid ait, Terra dedit fructum suum, benedicat nos deus deus noster, benedicat nos deus. Quæ est terra quæ fructum benedictionis dedit? nisi Maria, cui dicitur, Benedicta tu, & benedictus fructus uenitris tui. Et in Gen. Benedictiones, inquit, uberum & uuluæ. Et in Psal. Filij merces fructus uenitris. Et, De fructu uenitris tui ponam super sedem meam. De quo fructu, hic idem sacri carminis author in alio Psalmo concinit, Veritas de terra oria est, & iustitia de cœlo prospexit, etenim dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit

D. VIGILII

bit fructum suum. In quo euidenter utriusq; na-  
turæ confessionem prædicans, perfidiora ora ob-  
tundit, dum ueritatem de terra ortam, & iustitiam  
de cœlo adserit prospexit. Quia Christus ex ultra  
que substantia habens, de cœlo scilicet, quia de pa-  
tre genitus, de terra autem, quia & de matre na-  
tus est, utriusq; parentis habet geritq; naturam. A  
summo enim cœli egressio eius, summum celi  
pater est, & processio eius tanquam sponsi de ihu  
Iamo uteri uirginalis. Quod mysterium utriusq;  
naturæ etiam Esaias ijsdem significationibus pan-  
dens cœli & terræ sic loquutus est, dicens, Rorate  
cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur  
terra & germinet saluatorem. Vide quam confor-  
nis ueritas muniatur prophetica authoritate sen-  
tentij. Quod enim Dawid ait, Iustitia de cœlo pro-  
spexit: hoc Esaias dixit, Nubes pluant iustum. Et  
quod ille subiunxit, Et terra nostra dabit fructum  
suum: hoc iste addidit, Aperiatur terra, & germi-  
net saluatorē, perspicuo satis & aperto, imo pro-  
prio filij dei nomine usus, ut fructum & germen  
terræ saepius in prophetia nominatum, nativita-  
tem Christi ex Maria esse nullus audeat dubitare.  
De quo germine uel fructu idem adhuc Esaias lo-  
quitur, dicens, In die illa erit germē domini in ma-  
gnificentia & in gloria & fructus terræ sublimis.  
Relictus ne est ullus ambigendi locus, quin clare  
& germinis & fructus Christum aperiissime si-  
gnificari, qui in tanta gloria & magnificētia subli-  
matus

matus est, ut in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris? Vnde quod ait Apostolus, Propter quod & deus illum exaltauit. Et nunc propheta, Et erit fructus terræ sublimis, manifestissime id, quod de terra, id est, ex Maria sumptum est, exaltatum & sublimatum intelligi uoluit. Cæterum id quod de patre est, semper sublime fuit: sed nec de rore cœli, quod in uerbi dei figura sit positum, ulla dubietatis pater occasio, cum ipse dixerit Esaias, Et nubes pluant iustum. Et alibi satis apertius imbri cœlesti uerbum suum patrem comparasse descripsiterit. Nam ira ex persona eius dicit, Quomodo si descendat imber aut nix de cœlo, & illuc non reuertatur, sed ineberiat terram, & facit eam germinare: sic erit uerbum quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me uacuum, sed faciet quæcunq; uolui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Quis tam aperia & absolutissima diuinæ prædicationis claritate lumen non asperiat ueritatis? Ecce uerbum dei sicut imber in terram, id est, in gremio sinu Mariæ influere diciunt, quam sancti spiritus ebrietate fecunda, in germine dominici hortus prorumpere faciat, & turgentis alui preciosissimum edere fructum. Quod uerbum quia incarnatum, quod est carne induitum, homo esse uoluit, nudum & uacuum ad patrem, a quo fuerat missus, reuerti non potuit. Sed in eo-

## D. VIGILII

Nō satis est alteram sine altera profi-  
teri, id est, absq; humani corporis natura, solam  
eius adscrere deitatem. Aequalis enim & ciudem  
periculi res est, aut diuinam eius tantummodo,  
aut humanam fateri naturam. Quia unum sine  
alio non proficit ad salutem. Quod & ipse domi-  
nus in euangelio sub tali similitudinis compara-  
tione aperiissime docet. Iterum (inquit) Simile est  
regnum cœlorum thesauro abscondito in agro,  
quem qui inuenerit, abscondit, & præ gaudio  
abijt, & uēdidit omnia sua, & emit agrum illum.  
Non, quasi tibi uidetur, huius inuentor thesauri,  
non satis prudenter egisse. Quid enim necessita-  
tis uel impedimenti fuerat, ut inuentum thesau-  
rum nō statim auferret de agro, cum utiq; ipso il-  
lo ocio temporis & secreto, quo repererat aufer-  
re potuerit, etiam facili compendio, sine propria-  
rum dispendio facultatum emendi agri necessaria-  
tem uitare? Sed cognouit utiq; prudentissimus ho-  
mo inefficacem & inutilem imo periculosam  
esse thesauri huius sine agro possessionem. Nam  
uide, quia sicut absconsum inuenerat, ita & ipse  
abscondit, ne agrum nudare ac uacuare thesauro  
ausus, omnia sua uendere festinavit, ut iure legi-  
timo, & thesauro potiretur & agro. Igitur thesau-  
rus in agro absconditus deus est, latens in carne  
sua.

sua. Audi Apostolum dicentē de Christo. In ipso,  
inquit, sunt omnes thesauri sapientiae & scientiæ  
absconditi, & ideo omnis est prorsus inutilis &  
impia confessio quæ dominum Iesum Christum,  
aut deum tantummodo non & hominē, aut ho-  
minem solum, non & deum facietur. Agrum autē  
carnem Christi figuraliter nominari & præsens  
indicit locus, & superius illata testimonia docet.  
De hoc enim agro maxime Isaac in suis benedi-  
ctionibus prophetauit. Ecce, dicens, odor filii mei  
sicut odor agri, cui benedixit deus. Corpus enim  
dominicū, magnis diuersarum uirtutum fla-  
gratodoribus, & sui bene olēria diuersa pigmen-  
ta, infirmos quoq; uiuificat. Vnde Apostolus  
Christi (inquit) bonus odor sumus, de uita in ui-  
tam, his qui salui fiunt. Huius tam præcipui &  
saluifici odoris suauitate illecta in Cantico can-  
ticorum ad eum dicit ecclesia, Post te in odorem  
unguentorum tuorum curremus. De huius agri  
pulchritudine & ipse loquitur in Psalmo quadra-  
gesimonono. Et species agri mecum est. Per hu-  
ius agri gloriam ecclesia in prædicto Salomonis  
libro sodales adiurat, dicens, Adiuro uos in glo-  
ria & uirtutibus agri. Agrum illum fortis & sa-  
piens in prouerbijs Salomonis mulier, id est eccl-  
esia, introducitur comparasse. Sic enim de ea dici-  
tur, Agrum uidit & emit illum. Preciosa est huius  
agri possessio, quæ Christi intra se absconsam re-  
tinet deitatem. Duplicis enim naturæ est Christus,

## D. VIGILII

& ideo, ut dixi, nec thesaurum sine agro, nec ager  
sine thesauro iure potest ab aliquo possideri. Nam  
Manichæus & Eutyches, qui uolunt thesaurum  
sine agro possidere, id est solum diuinitatem, sine  
carné fateri, utriusque in Christo naturæ confessio-  
nem refugiens, procul abiectus & exclusus ab  
hac possessione extorris habetur. Fotinus quoque  
& ei similes, qui agrum solummodo, non & the-  
saurum eius possidere, id est humanitatem Chri-  
sti non & diuinitatem fateri uoluerunt, hac pos-  
sessione priuati sunt. Vnde merito sola illa, in pro-  
uerbijs, mulier beatitudinis præconio digna ha-  
betur, quæ hunc agrum comparans, duplicitia pal-  
lia uiro suo fecisse describitur. In pallijs enim con-  
fessionis honor accipitur, naturæ scilicet utriusque.  
Quia nec dignaretur vir eius unum ab ea confes-  
sionis pallium accipere, aut diuinitatis tantum-  
modo, aut solum humanitatis suæ, id enim non  
honoris, sed contumeliae est maximæ, unum ho-  
rum sine alio offerre. Vnde alia repudians mune-  
ra, quæ, utriusque naturæ confessione, non sint ge-  
mina pariter & distincta, atque pro tempore & sa-  
cramento diuisa, dicitur ad Cain. Si recte offeras,  
recte autem non diuidas, peccasti. Quia ille solus re-  
te diuidit, qui non ignorat secundum quid filius  
equalis est patri, & secundum quid eodem minor  
est pare, secundum quid pauper & mortuus est,  
& secundum quid immortalis pariter & impensis  
bilis mansit. Quia non solum confundere, sed &  
non

non recte diuidere reatus est criminis. In uno enim Eurychietis, in alio Nestorijs damnatur impietas, dum quod ille male confundit, pessime iste discernit.

De quorum diversitate dogmatum, sibi inui-  
tem aduersantium, quantum ex illis nostri inge-  
nij facultate ualuumus, duobus superioribus ex-  
pressimus libris, & quomodo isto etiam tertio ir-  
refutabili (quantum opinor) diuinæ scripturæ au-  
thoritate docuimus, filium dei, sicut de patre, ean-  
dem diuinitatis, ita etiam de matre humanitatis  
habere naturam: & quod ros cœli & germen uel  
fructus terre, propter utrasque naturas fuerit appelle-  
atus, iniuncta nihilominus & pspicua adseritione  
monstrauimus. Nunc ad defensionē Leonis epi-  
stolæ & Concilij Calcedonensis stili nostri conuer-  
tamus officium, & quod Catholicus in eis atque  
Apostolicus refulgeat sensus, castatis hære-  
ticorum obiectionibus do-  
ceamus.

Libri Tertiij finis.

I

## ARGUMENTVM LIBRI

Quarti Diui Vigilij contra  
Eutychen.

**N**E<sup>c</sup>t alius agit in libro quarto quam quod egit in tribus superioribus. In hoc tamen copiosius perser-  
quitur omnia & diuersa propere ratione. Profert enim  
uerba ac argumenta quae aduersarius quidam Eutychianus contra S. Leonis Romani episcopi epistolam effusa-  
derat. Deinde responderet ad singula eius argumenta, ubiq*ue* al-  
ferens naturarum in Christo proprietatem & personae nihilo  
minus unitatem, atq*ue* ita defendit catholicam & orthodoxam

Leonis sententiam, Eutychiani subuertit. Liber est do-  
cens & utilis, ac superiorum ueluti Com-  
mentarius, sarcens quod su-  
perioribus deesse uis-  
deri poterat.

Dicit

# DIVI VIGILII CON-

TRA EVTYCHEN

Liber Quartus.

**V**IDAM PERVERSAE MENTIS homines & inanis gloriæ cupidi, nescientes (ut dicit Apostolus) neq; quæ loquuntur, neq; de quibus adfirment, habentes formam pietatis, virutem autem eius abnegantes, indignati ueritatis dogmatibus & ecclesiasticas fidei regulas non ferentes, beatissimi Leonis Epistolæ iuxta sensum euangelicæ traditionis conscriptæ, & decreto synodi Calcedonensis, prauis contradictiōnibus obuiandum putauerunt, nefanda cōmenta horribilibus uerborum nauseamentis euomentes. Quæ, quoniam simplicioribus quibusq; non nullum uidentur dubietatis scrupulum excitare, idcirco cohortatione fratrum in auditorio domini dei nostri, consideranda & refutanda suscepi. Il la primitus uno diluens uolumine, quæ Leonis objiciuntur Epistolæ, cuius hoc sibi primo capitulum iste, nescio quis, proposuit fidelium. Vniuersitas profiteretur credere se in deum patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius dominum nostrum. Huic capitulo ob id iste calumniatur, cur non dixerit, in unum deum patrem, et in unum Iesum Christum filium eius, iuxta Ni

egni decrenum Concilij. Sed Romæ & antequam  
 Nicæna synodus conueniret à temporibus Apo-  
 stolorum, usq; ad nunc, & sub beatæ memorie  
 Cœlestino, cui iste recte fidei testimonium reddit,  
 ita fidelibus symbolum traditur, nec præjudicant  
 uerba, ubi sensus incolumis permanet, magis enim  
 cum domini Iesu Christi sententia hæc fidei pro-  
 fessio facit, dicētis, Creditis in dominum, & in me  
 credite, nec dixit in unum deum patrē et in unum  
 meipsum. Quis enim nesciat unum esse deum pa-  
 trem, & unum Iesum Christum filium eius? Mi-  
 tor tamen quō hunc locum iste notauit, & illum  
 prætermisit, ubi unici filij cōmemorationē, idem  
 beatus Leo facit, dicēs, Idē uero sempiterni genito-  
 ris unigenitus sempiternus. Natus de spiritu san-  
 cto, ex Maria uirgine. Sed & hoc q̄q; mirandum  
 est, cur nō simili dementia reprehendit, quod ait,  
 Qui natus est de spiritu sancto ex Maria uirgine,  
 quando hoc uerbum Nicæna synodus non po-  
 suit, et ut illi placet, hoc solum profiteri debemus,  
 quod ibi scriptum inuenerimus.

Impie autem calumniatur Leonem, quod in  
 unum quidē authorem & uerum filium dei uer-  
 bum, & in alium recogitatum & cōglorificatum  
 ex Maria hominem crediderit, hoc ita eum sensi-  
 se uel docuisse probari non potest. Magis enim  
 unum eundemq; confessus est dei & hominis fi-  
 lium dominum Christum, dicens, Vnus enim  
 idemq; dei & hominis filius. Et iterum, Vnus arcq;  
 idem

idem mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Hoc etiam capitulum mira impudentia, reprehensione dignum putauit in quo ait, Verbo scilicet & operâte quod uerbi est, & carne ex consequente quod carnis est, unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs. Et primo qui dem intendendum est, quod non dixerit, ut tu im perite calumniaris, Vnus horum coruscat miraculis & aliis succumbit iniurijs, per quod sine uila ambiguitate, duos uideretur quoscunq; separatos, uel duas significasse personas, sed ait, Vnum horum & aliud horum, quia in unum, id est, hoc & illud nō personæ diuersitas, sed generis distinc<sup>tio</sup> demonstratur, uerbi scilicet & carnis.

Item dixit Leo, Qui enim uerus est deus, idem uerus est homo, & nullum potest esse in hac unitate mendacium, dum inuicem sunt & humilitas hominis & altitudo deitatis: quod tu solita malignitate in aliud detorsisti, dicens, Eum duos quosdam separatos induxit, uicissim quæ sibi sint propria operantes, cum ille altitudinem & humilitatem, id est utramq; naturam, uelut duo quosdam, non duos quosdam, in uno Christo manentes uoluerit demonstrare. Miror autem quomodo non hac existimatione apostolum quoq; accusaueris Paulum, quia & ipse duo quædam esse dixit in uno homine, uicissim quæ sua sunt propria operantes, & contra se inuicem nitentes, spiritum uidelicet & carnem. Hæc, inquit, sibi inui-

Duo quædā  
in Christo;  
nō duo Chri-  
sti sunt.

## D. VIGILI.

cem aduersantur. Sicut ergo unus est homo, in quo sunt duo quædam in se inuicem permanentia, & sua quæc propria operaria, nec potest alius dici, dum secundum carnem sapit et facit, & aliis, dum secundum spiritum uiuit, sed idem ipse est, in utroq; habens in se utruncq;. Ita & Christus, dum unum in se haberet, in quo succumbit infirmatibus, & aliud in quo radiat micatq; uirtutibus, id est caro & uerbum, quæ duo Apostolus in eo distinguens, ait, Nam & si crucifixus est ex infirmitate nostra, sed uiuit ex uirtute dei, non bipertitus, & aliis atq; aliis, sed idē ipse unus, atq; idem apertissime demonstratur. Verum tu, dum per unius naturæ professionem humanam Christo conueneris auferre naturam, uideris tamen confiteri qd negas. Dixisti em, Ipse est deus qui in carne natus est, qui est uerbum dei patris, qui factus est in conuertibiliter perfectus homo, permanens deus, filius unigenitus, & deo similis in uirtute, & nobis similis in infirmitate, similitudo autē deitatis in uirtute, apprietas est diuinæ naturæ, proculdubio similitudo humanitatis in infirmitate proprietas est humanæ naturæ. Non prudētis est in re simili dissimilia confiteri. Sed & cum dicis, Qui factus est inconuertibiliter perfectus homo, permanens deus, nostra īmō catholicam, aduersus quā niteris, fidem confirmas. Si enim non est conuersus in carnem, & factus est homo permanens deus, hoc ipsum qd

factus est homo, quia immutatio dici non potest, adsumptio dicatur necesse est, ac sic geminum quiddam erit id quod erat, & mutatum non est, & id quod nō erat & factum est uel adsumptum: quia id quod erat non est mutatum in carnem, & tamen habet carnem, sicut ipse ait, Caro mea uera est. Cuius & Petrus meminit, Neq; caro eius uidit corruptionem. Quia ergo non est id ipsum haberi & habere, uerbum quippe habet, habetur autem caro, perspicue & liquido cōprobatur Christum utriusq; esse naturę, unius uero personæ. Vnde quicquid copiosius & latius persequi uoluisti, ut unum ostenderes Christum, noueris te superfluis immoratum laboribus. In hoc sanè subtiliter & impie fidei Christianæ illudēs, ut quia Christus unus est, quod negari non potest, unionem personæ ad præiudicium inflecteres utriusq; naturę, dum utraq; natura uno semp̄ nomine nuncupetur. Nam cum Iesus Christus non uerbi, sed carnis proprium sit nomen, & deus proprium uerbi, non carnis constet esse uocabulum, tamen & uerbum, propter carnem suam, homo Iesus Christus, & caro propter uerbum, deus uerbum est. Christi enim nomē ex eo illi est, quod ad eum Propheta dicit, Vnxit te deus deus tuus oleo exultationis p̄e confortibus tuis. Non enim uerbi natura uncta est, quae confortes secundum se habere nō potuit: unde apparet ad id quod homo factus est pertinere unctionis, id est Christi, uocabulum.

Ideo Apostolus ait, Hoc sentite in uobis, quod & in Christo Iesu, quia cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed se metipsum exinanivit, formā serui accipiens; cum profecto antequam ab illo forma serui esset accepta, nondum fuerit Christus, sed tantummodo uerbum, id est, antequam esset homo, nondum erat homo, sed tantummodo deus, nondum erat Christus, antequam nostri habitus similitudine homo esset inuentus, & tamen Christus est in forma dei, Christus in forma serui, Christus æqualis patri, Christus inferior patre, idem deus, idem homo: unde constat & diuinitatem humanitatis habere uocabulum, id est, uerbum dicit carnem, & carnem dici uerbum, non quia in se utrumque mutatum sit, sed quia utrumque una persona, id est unus Christus sit: & ideo recte credimus & prædicamus cum apostolo deum crucifixum & mortuum in humana natura, quæ ex uniti uerbi consortio deitatis poscit & nomen. Ipse igitur unus idemque dei filius dominus Iesus Christus, & mortuus est secundum formam serui, & non est mortuus secundum formam dei. Idem patri æqualis in forma dei, idem patrem minor in forma serui.

Quæcum ita sint, quicquid de utraq; forma secundum tui sensus prauitatem disputare uolueris, noueris ita expositione cassari, qua sancte imperititia, uel potius dementia, euangelicum uolueris immutare

Immutare sermonem, scias non esse ignotum.  
Quod enim ibi legitur de Christo, quando inter  
duos latrones crucifixus est, ex Prophetæ testimoni  
o, dicentis, Et inter iniquos deputatus est: tu di  
xisti. Et inter mortuos deputatus est. Deniq; ista  
tua sunt uerba, Virg(inquis) datorem & amatorē  
hominis deum, qui inter mortuos deputatus est,  
& corruptione & morte nunq; uictus est, quin in  
infernum, ut obnoxius descendit naturę, sine pec  
cato. Vides quantum sacrilegij habeat unius tan  
tum confessio naturę. Vides in quæ uos impieta  
tis abrupta præcipitet nouitas ista doctrinæ. Quia  
enim sic uultis uidere deum incarnatum, ut nihil  
habeat humanę naturę, sed totum quod est deita  
tis natura sit, dei enim naturam (quæ immortalis  
est) scientes mori non posse, nec ei penitus mortis  
nomen congruere, elegistis à fide apostolica exor  
bitare, dicendo, deum inter mortuos deputatum,  
quā eum fateri secundum hominem mortuum,  
ut Apostolus docer, dicens ad Roman. Sicut per  
inobedientiam unius hominis peccatores consti  
tuti sunt multi, ita per obedientiam unius homi  
nis iusti constituentur multi. Hanc autem mortis  
esse, quam pro nobis in nostrę naturę ueritate su  
scipit, ipse nihilominus docet Apostolus dicens  
de Christo, Factus est obediens usq; ad mortem,  
mortem autem crucis. Et iterum, Reconciliati su  
mus deo per mortem filij eius. Et ad Corinthios,  
Tradidi, inquit, uobis, quod & accepi, quia dor

D<sup>o</sup> VI G I L II

minus Iesus Christus mortuus est, secundum scri-  
pturas. Quo ergo metu formidaueris, deum dice  
re mortuum, non est nobis ignotum. Noueris ta-  
men te contra tuam professionem uenire, dum di-  
cis de Christo, qui in infernum descendit, ut obno-  
xius nostræ naturæ sine peccato. Si ergo nostræ  
naturæ obnoxius fuit, nostram profecto naturam  
habuit: aut si non habuit, ostende unde obnoxius  
fuit? Nemo enim debet aliquid ei, à quo nihil ac-  
cepit. Sed & cum dicis in sequentibus de Christo  
exponens Hieremiæ testimonium, Et cum homi-  
nibus conuersatus est secundum humanam for-  
mam, ex Adam seruo suo, tuis nihilominus pro-  
fessionibus aduersaris. Apertissime enim declara-  
sti secundum humanæ naturæ adsumptionem  
deum inter homines conuersatum. Sicut enim dei  
forma, in qua est filius æqualis patri, nihil est  
aliud, quam de natura: ita serui forma nihil est  
aliud quam humana natura, in qua est inferior  
patre. Attende igitur uim dicti tui, & tibi magis  
ipsi quam nobis credito. Dixisti enim ex Adam  
formam serui habuisse, licet nolueris dicere acce-  
pisse, quod Apostolus ait, Semetipsum exinan-  
uit, formam serui accipiens. Sed quid ad nos, si  
uerbum refugeris, cuius sensum uitare non ponui-  
sti. Quod ergo ex altero est illi, non erat ipsis;  
priusquam id acciperet. Nemo enim ab altero mu-  
tuatur, qd in seipso habere dino scitur. Vnde appa-  
ret dei uerbum sic incarnatum ut ex nobis, que  
nostra

Nostra sunt, acciperet, nō ut suam naturam in carnem mutaret. Ac sic in eo duplex erit natura, uerbis cūlcer, quæ mutata non est, & carnis, quæ ex Adam seruo eius accepta est.

Sed iam cætera tua, quibus catholicam fidem reprehendis, qualia sunt, uideamus. Loquens eī ad Leonem, & ad omne cōcilium, ita eorum uerba interponis. Dixisti eī (inquis) addētes etiam hæc, Vnus atq; idem est uere filius dei, & uere hominis filius. Quam sententiā talibus incusas uerbis, & perulantibus niteris attenuare cōuicijs. Auctuate obsecro (dicens) uenenatæ lingue dolum, quomodo duos introducentes filios, præposuitis, unus atq; idem est filius, qui inconuertibiliter factus est homo. Hoc dixerunt. Sed tu, aut non intelligis, aut qđ magis uerum est, impie calumnias. Nā cum dixisti tu, Factus est homo: hoc illi dicunt, Idem est filius hominis: sed si tibi filij hominis displicer nomen, dele euangeliū, ipsum filium male de se pronunciasse contendere. Nam ipse utiq; hanc fidei regulam dedit, ipse sibi utrumque nomen imposuit. Cęco enim, à se illuminatus ait, Tu credis in filium dei? Sed quod hic filius dei ipse sit & filius hominis, alibi ait, Cum uenerit filius hominis putas inueniet fidem in terra? et alia quamplurima. Num ergo & ipse Christus se ipsum diuisisse credendus est, qui se & filium dei, & filium hominis confiteri dignatus est?

Item calumniaris Leonem, quod quasi homi-

## D. V I G I L I I .

nem quēdam ex Maria dixerit natum, in quo uer  
bum inhabitauerit, ex illo eius testimonio, quo  
ait, Cooperatur enim utriq; naturæ cum commu  
nione alterius, quod proprium est: hominē quen  
dam nunquam dixisse demonstras. Quod autem  
uerbum in carne sua, id est in homine, quod ipse  
factus est, habitauerit, Ioannem audi, dicentem,  
Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis,  
id est, in nostræ naturæ carne. Nam posset dicere,  
habitauit nobiscum, si præsentiam ciuius ad homi  
nes, & non habitationem in sua propria carne,  
quæ ex nobis est, uoluisset ostendere. Sed quia no  
stræ naturæ homo factus, nostræ naturæ corpus  
incoluit, dictus est habitasse in nobis. Et hinc iam  
in cœlo esse, & ad dexterā patris sedere, nos Apo  
stolus docet, in ipso, qui nostræ naturæ uerum cor  
pus adsumpsit. Ait enim, Et simul suscitauit, & si  
mul sedere fecit in cœlestibus, in Christo. Vnde er  
go ibi sedemus, si naturam nostram in Christo  
non ibi habeamus? Quod autem Christus non  
tanquam aliis in alio inhabitat, dum id qd ipsius  
est proprium, id est in carne sua inhabitat. Apo  
stolum audi, dicentem de ipso, In quo inhabitat  
(inquit) omnis plenitudo diuinitatis corporali  
ter. Et iterum, Deus erat in Christo mundum re  
cōcilians sibi. Et iterum, Soluēs inimicarias in car  
ne sua. De proprietate operationis utriusq; natu  
ræ, iam superius disputauimus, quā & tu pari ad  
sensione conuinceris profiteri. Ais enim, Confite  
mur

mur filium hominis ex semine Abraham & Da-  
vid, & infantem, & puerum, & Bethlehemitem, &  
ex Nazareth, & si qd aliud uoluntariæ paupera-  
tatis est proprium. Quæ est enim eius paupertas,  
nisi naturæ infirmitas? quia id quod ait Aposto-  
lus, Qui cum diues esset, pauper factus est, quid  
est aliud, nisi cum deus esset, homo factus est, ac  
per hoc salua uiriūsq; naturæ operis proprietate,  
unus atq; idem est Christus. Quod & ipse fateris,  
dicens, Diuinas operationes, & carnis passiones  
confitemur & credimus: dum enim passiones spe-  
cialiter carni adscripsisti, proprietatem humanæ  
naturæ apertissime demonstrasti.

Videamus & alia, quæ reprehendis. Quid, in-  
quis Leoni, secundum hoc & hoc in deum & ho-  
minem unum dominum Iesum Christum filium  
diuidis, dicendo deum secundum hoc quod om-  
nia per ipsum facta sunt, homo autem secundum  
hoc quod factus est ex muliere? Si nō licet dicere  
in Christo, secundum hoc inest, aut secundum di-  
uinitatem, aut secundum carnem, quomodo de  
ipso dicit Apostolus, Qui factus est ex semine Da-  
vid secundum carnem? Aut tu quomodo in sub-  
iectis aisti, In nullo diuiditur Christus, neq; secun-  
dum incarnationem, neq; secundum coæternam  
naturam, neq; secundum uoluntarias passiones,  
neq; secundum ineffabilem gloriā, si secundum  
hoc & hoc, diuisio tibi sonat? Ecce tu in quatuor  
partiones Christum diuidisti, quem tamen, sicut

## D. VIGILII.

est, indisum dixisti. Quod ergo simili modo præsumere ausus es, in alio reprehendere non debes. Stultitia enim est, id uelle refutare, quod pariter conuinceris non negare. Quomodo autem & hoc uolueris reprehendere non intelligo, quod idem beatus Leo adserit, dicens, Natiuitas carnis manifestatio est humanæ naturæ, partus uirginis diuinæ est uirtutis iudicium, infantia paruuli ostenditur humilitate cunarum, magnitudo altissimi declaratur uocibus angelorum, similis est rudimentis hominum quem Herodes impie molitur occidere, sed dominus est omnium quem Magi gaudent suppliciter adorare. Adseueras enim secundum prauitatem sensus tui, quod his uerbis Leo duos uoluerit ostendere Christos, quum ipsum, quem dixit infantem, ob manifestationem humanæ naturæ inuolutum humilitate cunarum, eundem ob indicium nihilominus diuinæ naturæ adseruit declaratum uocibus angelorum. Si enim diceret, Alius iacebat in pannis, alias præcabatur ab angelis, alium Herodes quærebatur occidere, alium Magi gestiebant suppliciter adorare, rectius argueretur male sensisse. Cum uero eundem dicat cunis inuolutum, quem milia prædicant angelorum, eundem Herodis infidijs appetitum, quem callens astris quæsivit cura Magorum, quid conaris ad diuisionis uitium reflectere, quæ uno Christo ad demonstrationem dicta sunt uiri usq; naturæ? Quid ea reprehendis quæ ipse fateri

teri conuinceris: Nam ita culpabiliter Leōnem af-  
faris. Cur, inquis, non confiteris deum uerbum  
infantem natum propter nos, & permanentem si-  
militer deum, & inuolumenta carnis suscepisse  
nostræ naturæ propter nos? Sic enim nobis sumi-  
lis factus est per omnia sine peccato. Ecce quod  
ubiqꝫ arguis, quod ubiqꝫ exprobras, qd impium  
et sacrilegum putas, oppressus ueritatis molibus,  
cogeris profiteri. Si enim inuolumenta nostræ na-  
turæ suscepit, profecto nostræ naturæ ueritatem  
habuit. Neqꝫ enim pannorum inuolumentis, &  
maternis lactis alimento in deo nutriti potuit, ni  
si quod in illo nostræ naturæ proprium fuit, nec  
in aliquo nobis poterat similari, si non id, quod  
ipſi sumus, in seipso dignaretur accipere.

Adhuc autem quæ nostra sunt, imo quæ ueri-  
tatis sunt, inuitus fateris, dicens, Gloriatur nostra  
natura honorificata, uidēs eum qui est unius sub-  
stantiæ cum patre secundum diuinitatem, & no-  
biscum unius substantiæ secundum inenarrabi-  
lem ex uirgine incarnationem, sed enim in dexte-  
ra magnificentiæ sui patris. Eius enim caro, natu-  
ralem & super omnem gloriæ splendorem, inef-  
fabili lumine resulgens, gloriatur nostræ naturæ  
infirmitas. Cōfessus es diuinitijs diuinitatis eius, in  
firmitatem nostræ glorificatam esse naturę, cuius  
glorificationis eius hanc esse adseris causam, qd  
hęc natura per unitatem uerbi glorietur sedere ad  
dexteram dei. Hęc si simpliciter sentiantur, recte

D. V I G I L I I

& catholice dicuntur. Dixisti etiam, Quod sicut  
unius substantiae est filius cum patre secundum  
diuinitatem: ita unius substantiae est nobiscum se-  
cundum incarnationem. Quia professione, ut te-  
cum simpliciter agam, duplarem in Christo fate-  
ris esse naturam. Quia, si secundum diuinitatem  
unius cum patre substantiae, & rursus unius est  
nobiscum secundum incarnationem naturae, ge-  
minae est profecto naturae. Si uero te rectius exa-  
gitem, & quae sensis pressius uentilem, quanta se-  
quantur absurdia perspicies. Dixisti Christum si-  
cuit cum patre, ita & nobiscum unitatem habere  
substantiae, unam tamen uis eum habere naturam,  
una ergo & dei & nostra est natura, & quid hac  
professione magis impium erit? Deinde & pa-  
trum nostrorum authoritate, communi omnium  
sapientum iudicio, non est unius sed duorum com-  
munionem eiusdem habere substantiae. Ac sic tu  
duos nobis quosdam Christos inducis, unum qui  
cum patre unius sit secundum diuinitatem sub-  
stantiae, alium qui nobiscum secundum carnem  
unitatem habeat naturam, quomodo ut dixi nostra  
& patris non est una substantia, tu autem in Chri-  
sto noluisti duplarem esse naturam, necesse ergo  
erit, secundum quod profiteris, alium esse Chri-  
stum, qui cum patre habeat unitatem substantiae,  
alium qui nobiscum. Quia si non unus, utrasq;  
habet, cum duae sint, tu autem utrasq; habere dixi  
sti, duo sint necesse est, qui singulas habeant, &  
per

per id uos potius quaternitatem ecclesiæ introduciis, qui in uno Christo utramq; naturam fateri non uultis. Repetam adhuc, si ualeo, plenius. Pa-  
tres in Nicæno Concilio proficentes patrem & fi-  
lium unius esse substantiæ, duas utiq; personas in  
unitate naturæ intelligendas religiosissime tradi-  
derunt. Igitur uos cum dicitis, uerbum & carnem  
unius esse substantiæ, duas nobis Christi perso-  
nas, duosq; Christos inducitis. Quia sicut autho-  
ritate patrum nostrorum, qua nō nisi inter duas  
personas unitatem substantiæ accipi uel dici san-  
ctum est, id ratio flagitat, ut si iuxta impiam ue-  
stram sententiam, unius substantiæ sunt, uerbum  
& caro, duæ sint profecto personæ, uerbi & car-  
nis, cōmunionem unius habentes naturæ. Dein-  
de necesse erit, ut & caro, sicut & uerbum, si unius  
cum eo est naturæ increata sit, & inuisibilis, atq;  
incontrectabilis, & initio carens, aliter enim cum  
uerbo unitatem non potest habere naturæ. Sed  
quia carnem his conditionibus subiacere impos-  
sibile est, unius autem ut dicitis cum uerbo natu-  
ræ est. Verbum em̄ erit, secundum Arrianos crea-  
bile & contrectabile atq; uisibile & ex initio sub-  
sistens, quia aliter cum carne nō poterit unitatem  
habere naturæ. Deinde si uerbi & carnis una na-  
tura est, quomodo cum uerbum ubiq; sit nō ubi-  
que inueniatur & caro, namq; quando in terra  
fuit non erat utiq; in cœlo: & nunc quia in cœlo  
est, non est utiq; in terra, & in tantum non est, ut

*Caro Chris-  
ti non est  
ubiq;*

## D. VIGILII

secundum ipsam Christum spectemus ueterum de cœlo, quem secundum uerbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundum uos, aut uerbum cum carne sua loco continetur, aut caro cum uerbo ubique est, quando una natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipso. Diuersum est autem & longe dissimile circumscribi loco, & ubique esse, & quod uerbum ubique est, caro autem eius ubique non est, apparet unum eundemque Christum utriusque esse naturae, & esse quidem ubique secundum naturam diuinitatis suae, & loco continet se secundum naturam humanitatis suae: creatum esse, & initium non habere: morti subiacere, & mori non posse: quod unum illi est ex natura uerbi, qua deus est, aliud ex natura carnis, qua idem deus homo est. Igitur unus dei filius, idemque hominis factus filius, habet initium ex natura carnis suae, & non habet initium ex natura diuinitatis suae: creatus est per naturam carnis suae, & non est creatus per naturam diuinitatis suae, circumscritus loco per naturam carnis suae, & loco non capitur per naturam diuinitatis suae: minor est etiam angelis per naturam carnis suae, & æqualis est patri secundum naturam diuinitatis suae: mortuus est natura carnis suae, & non est mortuus natura diuinitatis suae. Hec est fides et confessio catholica, quā apostoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc usque custodiunt. Vnde imp̄issime et Eutychianę h̄ereseos neno infectus, Leonē audes reprehēdere, dum ex diuersitate gestorū unius dñi Christi ueritatē edocat

Ceat uti usq; eius naturæ, ut qd ille ad demonstra-  
tionem utrarumq; protulit naturarum, professio-  
nem calumnieris duarum esse personarum.

Deniq; eius ista sunt uerba, Natiuitas carnis  
manifestatio est humanæ naturæ, partus uirginis  
diuinæ est uirtutis indicium. Et iterum, Agit enim  
utraq; natura, cum communione alterius, quod  
proprium est, uerbo scilicet operante quod uerbū  
est, & carne exequente quod carnis est. Et iterum,  
Quamuis in domino Iesu Christo dei & homi-  
nis una persona sit, aliud tamen est, unde commu-  
nis iniuria est, aliud unde communis est gloria.  
Quę uerba tu inquis interpretationibus hoc mo-  
do reprehendis, Quis audiat (inquis) duobus pro-  
positis articulis, & significationibus in duobus  
quibusdam nominibus unum deo, & aliud ho-  
mini in unam posse cōuenisse personam. In una  
enim persona aliud & aliud cōmuniter nunquā  
dicitur, unde manifeste alium deum uerbum, a-  
lium iniuriam passum hominem memorasti, di-  
cens, Aliud est unde communis est iniuria, aliud  
unde communis est gloria. Nemo enim in uno  
homine communionem patientis carnis accipit,  
cum sit caro secundum naturam homo, quomo-  
do aliud uerbum glorificatum, alium hominem  
iniuriam passum dixisse uel sensisse credēdus est,  
qui in subiectis ait, Quem, ut hominem, diaboli  
tentat astutia, eidem, sicut deo, angelica famulan-  
tur officia. Nunquid dixit, alium diaboli tentat  
astutia, & alio sicut deo angelica famulantur offi-

## D. VIGILII

cia. Et iterum, Impassibilis deus non dedit natus  
est homo esse passibilis. Et iterum, Qui enim uer-  
rus est deus, idem uerus est homo. Nunquid dixit  
alius est deus impassibilis, & alius est homo passi-  
bilis: alius est uerus deus, & alius est uerus homo:  
sed q[uod] uerus est deus, idē, inquit, uerus est homo.  
Quae cum ita sint in honesto ueris officio, religio-  
sis dictis callide insidiaris, ut superiora demendo  
ac sequentia nō addendo, ita media eligas, ut uer-  
ba sententijs exuens, de eorum nuditate pro arbi-  
trio ludas. Redde igitur suis omnia locis, & pro-  
pria sententijs indumenta restituas, & noli insi-  
diosis fraudibus calumnias innectere, ut quod ad  
demonstrationem utrarumq[ue] dictum est natura-  
rum, ad dualitatem referas personarum.

**D**iversa  
sunt opera  
verbi & car-  
nis in Chri-  
sto.

Verum quia dixit in uno Christo aliud esse uer-  
bi, aliud carnis proprium, sic tamen ut sit unumq[ue]  
commune, id est, ut & mors, quod est proprium  
carnis, pertineat ad uerbum, & uira, quod est pro-  
prium uerbi, pertineat ad carnem: quia ex utrisq[ue]  
Christus subsistens unus est in utroq[ue]: uisum est  
tibi obijcere quod in una persona aliud & aliud,  
& communiter dici non possit. Quia nemo, in-  
quis, in uno homine communionem patientis  
carnis accipit cum sit caro, secundum naturam ho-  
mo. Requiramus quis in hoc apostolicis cōgruet  
sensibus, utrum tu an Leo, qui sicut fidei regulā,  
ita & uerba sequitur apostolica. Dicit ergo Apo-  
stolus ad Romanos. Sicut in uno corpore multa  
sunt membra, omnia autem membra non ean-

dem habent operationem. Quod ad Corinthios latius explicans dicit, Nā & corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, quoniam nō sum manus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore. Si dixerit auris, non sum oculus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore. Si totum corpus oculus, ubi est auditus? Si totum auditus, ubi est odoratus? Et infra, Non potest dicere oculus manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij. Ecce Apostolus in uno homine, in una persona, alia atq; alia inesse dicit opera, multū que à se inuicē diuersa, sed ita uniuscuiusq; membris separata & propria, ut tamen cum alio membro habeantur communia. Neq; enim quia diuersum est oculis audire & auribus uidere, ideo nō est unius hominis utrūq; aut quia diuersum est capiti & pedibus ambulare, ideo non est opus commune. Sicut ergo diuersa habent opera caput & pedes in homine uno, & tamen unus est homo, nec aliis est in capite, aliis in pedibus: sic diuersa sunt opera uerbi & carnis in Christo, nec tamē alias est in uerbo, alias in carne, sed ex utroque, & in utroq; idem est Christus. Mori certe & non mori longe diuersum est, & tamen nos ipsi sumus qui morimur, & nos ipsi sumus qui mori non possumus. Ait enim saluator discipulis suis, Tunc tradent uos in tribulationem & occident uos. Sed uide quid iterum alibi dicit, Nolite time-

## D. VIGILII

re eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Ostendens in uno quoq; nostrum unum esse mortalem & alium immortalem. Caro quippe in nobis moritur, unde & in symbolo, carnis resurrectionem, non animæ contitemur, quā esse immortalem credere iubemur. Quia ergo saluator in uno homine duo ista diuisit, quibus & proprietatem qualitatis adsignauit, ideo putandus est, unum hominem in duos homines diuisisse. Si ergo unus est homo qui moritur ex uno, & nō moritur ex altero, certe unus est Christus, qui mortuus est ex carne, & nō est mortuus ex uerbo. Quia secundum naturam, quæ in eo mortalis fuit, mori potuit: secundum illam autem, quæ in eo mori non potuit, semper immortalis permanxit. Igitur nos qui cum una tantummodo natura habuisse, uel habere fatemini, ostendite nobis quomodo idem potuerit mori. Non enim potest una natura eadem mori & eadem nō mori, qui si immortalis est, hoc ipso quo est immortalis non moritur, & si mortalis est, eadem mortis conditione moritur, non potest in una natura esse utraq;, & quia Christus habuit utramq;, utriusq; profecto erat naturæ, ex quibus in eo inuenitur utruncq;, aut si non habuit utruncq;, id est, & uitam & mortem in seipso, sed aut uitam aut mortem tantummodo, quia alia est natura mortis, alia natura uitæ. Vos autem dicitis Christum unius esse naturæ, dicite euidentius, quæ ex his duabus naturis una in eo fuerit natura, si uitæ, id

Est uerbi. Quia uerbum est uita: ergo uerbum, id est uita, mortua est in seipsa. Sed quia uerbum, id est uita, mori non potest, Christus autem mortuus est, nihil aliud restat secundum uos, nisi ut Christus aut om nino non fuerit mortuus, unam tantum uerbi, id est uitæ habens naturam, quæ mori non potuit: aut si uere mortuus est, quod negari non potest, mortis tantum, id est, carnis habuerit naturam, quæ mori potuerit. Agnoscite igitur, ò miseri, quantæ perfidie, quantæ impietatis sit, una in Christo fateri naturam, per quam eum aut mortuum credere conuincimini, aut falsum ideo non ibi eum cōfitētes mori potuisse, ubi potuit mori.

An forte ista nescio qua uestra natura ita ex uerbo & carne concreta est atq; compacta, ut ex utro que subsistēt, utrumq; amitteret, in utraq; esse quæ neutrū ex utroq; id est, ut nec uerbum retinuet naturam suam, commixtione carnis humanæ, nec caro proprietatem naturæ, commixtione naturæ diuinæ, atq; ira nec homo nec deus sit Christus, utroq; in utrumq; fraudatus. Quod quanto sacrilegio cogitetur quæso reminiscimini. Hoc enim unius naturæ professio cogit intelligi. Sed si secundum quod & ipsi fatemini, ita est uerbum caro factum, ut non fuerit tamen in carnē mutantum atq; conuersum, retinens & non amittens proprietatem naturæ suæ, in qua unione carnis suæ, quam miro & ineffabili modo operatus est in utero matris suæ: & rursus, Caro cuius non ami-

Sacrilegiū  
cōmixtio  
nis natu  
ratum.

## D. VIGILII

sit, nec perdidit proprietatem naturae atq; generis  
sui in communione uerbi diuini, quis nō uideat  
istam unionem uerbi & carnis non auolutionem  
singularis profecisse personæ? Nam cum & uos  
dicatis, sicuti & uere dicendum est, eundem perse-  
ctum deum, perfectum hominē, eundem uerum  
deum, uerum hominem, unde erit perfectus ue-  
rus in utroq;, nisi per ueritatem & proprietatem  
utriusq; naturæ? Sed ne putemur calumniari no-  
bis, dicendo uos ita credere, sicut fortasse non cre-  
ditis, uerba uestra ponamus, quibus si pudoris ali-  
quid geritis, resistere non debetis. Ita enim in eo li-  
bro, quem contra Calcedonense Concilium cas-  
so labore confecisti, habetur expressum, Sic enim  
qui ex Maria natus est saluator, inconuertibiliter  
incarnatus, cum esset deus, factus est homo, & di-  
ctus est filius hominis, qui estante saecula deus  
uerbum, immutabilis permanens in natura dei.  
Vnde & unus filius dei, in una persona digne-  
pięq; est confitendus. Sine enim deo uerbo sege-  
gata carnis natura non subsistit in uirgine, & ita  
inenarrabiliter unitum est carni deus uerbum, ut  
incarnatum, & caro immutabiliter factum, uere  
& incōfusé perfectus fieret homo, unde eum ho-  
minem simul & deum cōfitemur, hominem qui-  
dem propter quod ex nobis est uera incarnatione,  
deum autē eundem propter immutabilem eius,  
etiam post incarnationem, ex deo patre naturam.  
Ecce dicitis uerbum incōuertibiliter incarnatum  
et

& hominem factum, dicitis uerbum carni unitum, dicitis inconfuse hominem factum, dicitis eundem hominem simul & deum, hominem qui dem, propter quod ex nobis est uera incarnatione, deum autē eundem, propter quod & post incarnationem immutabilis permanit eius ex deo parte natura. Quis ita stolidus & exigui sensus, contra sua unquam militat uerba? Quis eousq; insipientia labitur, ut fidem suam ex ipsa defensione, qua vindicat, arguat? Dicitis in Christo unā esse naturam, & ecce id ipsum quantis destruitis uerbis? Fateri enim uerbum inconueribiliter hominem factum, atq; eum carne inconfuse unitum, professionem unius naturæ apertissime destruit, cum & uniri duorum soleat esse, & hac ipsa unione non mutari, neq; confundi integritatē, & proprietatem indicet utriusq; naturæ. Item cum dicitis eundem hominē, simul & deum, quid aliud, nisi in uno duo quædam ostenditis? Nemo enim de qualibet re singulari recte dixerit, simul.

Item cum dicitis ob hoc uerbum hominē propter eius ex nobis ueram incarnationem. Et ob hoc, rursus, uerum deum, propter immutationem diuinæ ex patre naturæ, etiam post incarnationem geminas profecto, integras, immutatas, inconfusas uerbi & carnis fatemini esse naturas. Quia si uerbi natura non est mutata, neq; confusa in carne. Et rursus, carnis natura non est mutata nec confusa in uerbo, sed tenet utrāq; integras.

## D. VIGILII

& incorruptam ueritatis suæ proprietatem, non possunt utraq; dici una. Si autem dicatur, sequitur illico ut corruptionem sui pertulerint, & mutatae sint in id, quod ita unum sit, ut utrung; esse non possit. Quod cum merito fugiatis, quia est impium, & detestabile, cur uno uerbo in id inciduntis, quod multis detestamini uerbis? cur pium et catholicum sensum, quem de uerbi immutatione, & carnis eius ueritate tenetis, hac una infanda professione destruitis? Credite igitur uobisipso, & cum orthodoxis pari confessione faremini, deum uerbum in utero uirginali, carni suæ unitum, quod est caro factum, ut ipse unus sit in utero, habens in seipso utrung;, & naturam uerbi, qua deus est, et naturam carnis, qua idem deus homo est. Alter enim stare non poterit, quod nobiscum creditis, ita cum factum fuisse, quod nō erat, ut non amitteret quod erat. Quod erat autem, & quod non erat, non est unius naturæ, ac per hoc dei filius naturæ est utriusq;, nō amittendo utrāq;. Quia sicut dei filius dici non potest, nisi ex ueritate naturæ uerbi, quæ illi est ex deo patre: ita idem, filius hominis dici non potest, nisi ex ueritate naturæ, quæ illi est ex homine matre.

Quid sibi autem uelit tanta professionis uarietas, ut quod una manu ædificatis, alia iterum destruatis, non intelligo, nisi quia ueritatem religionis mendaciorum fucis eluditis, aliud ore, aliud corde gestates. Nam qui paulò ante dei uer-

bum inconuertibile fassi fueratis, rursus id, nescio  
qua conuersione mutatum adserere uultis. Ita enim  
de ipso dixistis, Volens dei uerbum liberare homi-  
num genus, utpote creator sui figmenti semet-  
ipsum replasmauit, incarnatus de nostra substan-  
tia. Quis tam nefandæ opinionis latentem non  
aspiciat dolum, imò magis apertum? Ergo ne dei  
uerbum seipsum replasmauit, & non carnem si-  
bi in utero matris creauit? cui se ineffabili modo  
uniuit, iuxta Salomonis uerba, dicentis, Sapientia  
ædificauit sibi domum, quæ posset morte destrui,  
sicut ipse in euāgelio ait, Destruite templum hoc,  
& in tribus diebus suscitabo illud. Hoc, inquit, di-  
cebat de templo corporis sui. Si ita, qui seipsum re-  
plasmauit, plasmatus ergo ante, non genitus fuit.  
Nos autem filium dei ante sæcula de patre non  
plasmatum, sed genitum cōfitemur: qui si, ut uos  
adseritis, nouissimis temporibus seipsum in ute-  
ro uirginis replasmauit, plasmatus ergo, ut dixi,  
id est, factus uel creatus, non genitus fuit. Ac sic  
obtinuit Arrianum dogma, secundam istum im-  
pium sensum, facturā adserens filium dei. Dein  
de si seipsum replasmauit, destruxit ergo semet-  
ipsum, id est, id quod prius fuit, & replasmauit se  
in id, quod ante non fuit. Replasmauo enim sine  
destructione prioris formæ non potest intelligi.  
Et audi Hieremiam, Dixit (inquit) dominus ad  
me, descendē in domum figuli, & ibi audies uer-  
ba mea: & descendē in domum figuli, & ecce ipse

D. V I G I L I I

faciebat opus suum super rotam , & exterminatum est uas , quod faciebat in manibus eius , & conuersus replasmauit id in aliud , sicut placuerat oculis eius . Vides ergo replasmationem nouissimi operis interitum demonstrare prioris . Ita ergo & uerbum dei sine auolutione & interitu status sui prioris , replasmare seipsum non potuit in ute ro matris . Sed ut concedamus , quod huius sententiae conditio nō finit , sine sui auolutione seipsum replasmauit , nihil iam inuenitur sumpsisse de uir gine , & quid quebat ibi se replasmare , unde potuit nihil accipere ? sed si accepit , quia Apostolus ait , Formā serui accipiens , illud sine dubio , quod non erat , ueniendo sibi plasmauit . Sicut & pater ad eum per Esaiam loquitur , dicens , Plasmaui te , & dedi te in testamentum gentium . Et ipse in eodem propheta pari uoce testatur . Et nunc dicit dominus , formans me ex utero seruum sibi . Vnde mira impudentia , & detestabili prauitatis errore uerbum dei replasmatum audetis adserere , cum hoc diuinis conscriptum literis , nusquam potestis ostendere .

Et quia longum est istum uestrum impium sensum subtilioribus coartare questionibus , & ostendere quanta eum nefanda , quanta sequantur absurdita , nunc illud uideamus , quod uos Arriano sensu dixisse manifestum est , non posse in Christo aliquid maius & minus intelligi , cupientes ei solita calliditatis argumentatione , humanam ins ferre

ferre naturam, per quam possit inferior inueniri.  
Deniq; ista uestra sunt uerba, Quomodo autem  
in Christo nihil magnum, nihil minimum intelligi possit, etiam si nostris cōdescendit mensuris, p  
suam uoluntatem, manifestat etiam diuina trecen  
torum decem & octo patrum deliberatio, conti  
nens in unum dominum Iesum Christum fi  
lium dei credere, quem & incarnatum, & unius  
substantiæ cum patre cognoscunt, non diuiden  
tes minorem in Christo humanitatem, & æqua  
lem patri iterum deitatem. Vt inam solos uos in  
hoc errare sciretis. Et non etiam patres temeritate  
sacrilega in simili erroris crimine noraretis. Ni  
cæna enim synodus dominum Iesum Christum,  
secundum id quod ante sæcula de deo patre geni  
tus est, unius cum eo dixit esse substantiæ, quia Ar  
tiani secundum hoc eum fateri nolunt, unius esse  
naturæ. De qua enim uobis uidentur natura di  
xisse uel dicere, Erat quando nō erat, & anteq; na  
sceretur nō erat<sup>2</sup>, pculdubio de natura uerbi. De  
ipsa igitur respōsum acceperunt, qd semp esset, &  
initium non haberet, ex nihilo nō esset. Negq; em  
Arriani naturā carnis Christi ex nihilo factā asse  
rebant, quam ex uirgine procreatā, non utiq; ne  
sciebant. Deniq; posteaquam sufficienter de hac  
diuina filij dei natura disputauerunt religiosissi  
mi patres, in sequētibus etiam naturæ carnis eius  
cōmemorationem fecerunt, dicentes eum descen  
disse, & incarnatum esse. Non ergo, sicut tu eos

## D. VIGILII

accusare uoluisti, præpostero ordine posuerunt, ut prius diceret incarnatum, & postea unius cum patre substantia, sed prius unius substantia uocabulum posuerunt, quod pertinet ad illam uerbi naturam, de qua quæstio uertebatur & postea incarnationum dixerunt, quod pertinet ad carnis eius naturam, de qua nihil fuerat mutilatum. Qui ergo & tempus & ordinem & distinctionem inter oὐσίαν & incarnationem seruauerunt, οὐσίαν dicentes coæternam patri, incarnationem autem ex tempore factam, euidenter in uno eodemque dei filio duas confessi sunt esse naturas. Vnam qua est de patre ante tempora genitus, & aliā, qua est ex muliere in fine temporum factus. Vnam in qua est patri coæternus, aliam in qua est tempore posterior inuentus. Vnam qua eum ostendit patri æqualem, aliam qua docet patri esse minorem. Quæ cum ita sint, qua authoritate audetis adserere, non posse inueniri in Christo aliquid maius aut minus: cum ipse dicat, Pater maior me est. Et, Ego & pater unum sumus, & Lucas euangelista de ipso referat, Puer autem crescebat, & conforabatur. Quæ uos uidetis professione unius naturæ contraria esse. Quia nō potest una natura, & maxime diuina, detrimentum augmentumque recipere & maior uel minor pariter appellari, elegistis aperte impudentia, contra fidem scripturarum, de Christo mentiri, quam duas eum habere naturas catholice confiteri, per quas, idem magnus idem minor, non potest denegari.

Illud

Illud etiam liber pertractare capitulum, in quo Per naturā  
 tota effrenati furoris uestri erupit insanía, id inten- <sup>incarnatio-</sup>  
 dentes adserere, quod uerbum dei per naturam pabilē de-  
 diuinitatis, non per naturam incarnationis suæ, monstrauit  
 palpabilem scipsum & uisibilem dignatus est de- <sup>nis sese pab-</sup>  
 monstrare. Hæc enim sunt uerba uestra, Quod is,  
 qui in principio erat deus uerbum, qui per pro-  
 phetas nunciatus, caro factus est, super terram ui-  
 sus, & cum hominibus conuersatus, uisibilis &  
 palpabilis factus, uira æterna & natura deus sit,  
 adtestatus beatus Ioannes, dicens, Quod erat ab  
 initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis no-  
 stris, quod aspeximus, & manus nostræ tractaue-  
 runt, de uerbo uitæ. Quantum ego in his uerbis  
 intelligere potui, hoc mihi uidemini uelle astrue-  
 re, quod trinitatis natura, quoniam ipse est uerbi  
 natura, quæ inuisibilis semper & incontrectabi-  
 lis permanet, in ipsa se uerbum dei uisibile & pa-  
 pabile præbuerit, non in natura carnis, quam sibi  
 in uero matris uniuit. Quod si ita est, quid hac  
 professione impium, quid sacrilegum erat, unde  
 nos tantæ perfidiae & temeritatis detestantes, erro-  
 rem Ioannis apostoli, uerba quæ isti ad patroci-  
 nium prauitatis suæ pessime abutuntur, non alio  
 quam eiusdem apostoli sensu tractemus, constrain-  
 gentes prius, coartantes istorum imperitiam, ut re-  
 spondeant, quomodo, si in natura diuinitatis suæ  
 uisus & palpatus est dei filius, quare eum soli  
 Apostoli uidisse & palpassé credendi sunt, cum

D. V I G I L I I

pari uisione & palpatu milites quoq; , qui eum crucifixerunt, contrectauerint & uiderint, & per hoc patrem quoq; uidere potuerunt. Quia ipse ait, Qui me uidit, uidit & patrem. Quid hac professione impium erit? Deinde quid necesse fuit Apostolo dicere, Quod uidimus nunciamus uobis. Cum omnes illi qui tunc aderant, & in cum crediderant, similiter uiderint eum. Quod cum ita sentire absurdum & uanitate plenum sit, spiritualia Apostoli uerba spiritualiter aduertamus, quibus se non oculis & manibus corporeis, sed interioris hominis membris uidisse & palpasse uerbum dei restatur. Quia quibus naribus odor eius haesit, & quo ore suauitas eius gustatur, ipsis oculis & auribus & manibus contrectatur. Denique dicit ad eum ecclesia, Vnguentum effusum nomen tuum, & post te in odorem unguentorum uorum curremus. Et Paulus inquit, Christi bonus odor sumus. Et Dauid, Gustate & uidete quoniam suavis est dominus. Credere ergo in filium dei, hoc est uidere, hoc est audire, hoc est odorare, hoc est gustare, hoc est contrectare eum. In tactu autem firmitas credulitatis insinuatur, cui sensui praeceteris sensibus maior fides habecatur. Nam & oculi phantasmate, & aures mendacio saepe falluntur. Hoc ergo sensu Apostolus ita eum tetigerat, id est, ita in eum fundatissime crediderat, ut nunquam de eo posset aliquando dubitare. Et ideo ait, Quod oculis nostris uidimus, & manus nostrar

stræ palpauerunt. Nam uiderunt utiq; & contre-  
etauerunt etiā increduli filium dei, per nuturam  
carnis eius, sed soli Apostoli agnouerunt & na-  
turam diuinitatis eius. Quod, ut noueris aposto-  
lum Ioannem tactum uel uisionem pro mentis  
credulitate posuisse, audi quid in sequentibus di-  
cat, Filioli, nec dum apparuit quid erimus, cum  
autem apparuerit similes ei erimus, quia uidebi-  
mus eum sicuti est. Certe palpauerat, certe uide-  
rat eum. Quid se igitur pro magno beatitudi-  
nis munere uisurum præopiat, & ibi totam sui la-  
boris mercedem constituat, si eum uideat? Non  
enim air, uidimus, sed uidebimus eum sicuti est.  
Nec air, Apparuit, sed apperebit, nisi quia filius  
non apparuit sicuti est, sed sicuti factus est, uiden-  
dus in futuro sicuti est. Credendo ergo, non ui-  
dendo, ait Apostolus, uidisse se id, quod ab initio  
est: uidit per fidei speculum in ænigmate, uisurus  
manifestius rerecto uelamine. De qua uisionis  
manifestatione, quæ solis fidelib. reseruatur, ipse  
dominus in euangelio dicebat, Qui diligit me, di-  
ligetur à patre meo, & ego ostēdam ei meipsum.  
Si uidebant eum Apostoli, quomodo ob dilectio-  
nis meritum ostensurum se eis in futuro pollic-  
tur, nisi quia uidebant & non uidebant eum? Vi-  
debant eum sicuti factus est, & nō uidebant eum  
sicuti est. Credebant tamē in eum sicuti est, & ideo  
uidebant eum sicuti est. Merces enim credulitatis  
manifestatio est uisionis. Si autē huic expositioni

D. VIGILII LIB. IIII.

obstinatissime resistere uultis, adserentes uerbum  
in sua natura Apostolorum manibus contrecta-  
rum, date nobis huius intelligentiae integrum uer-  
borum cōsequentiam. Non enim ait Apostolus,  
Et manus nostrae tractauerunt uerbum uitæ, sed  
tractauerunt, inquit, de uerbo uitæ. Non ergo  
ipsum, sed de ipso tractauerunt, qđ non ad contre-  
stationem uisibilis tractus, sed ad tractum men-  
tis inuenitur manifestissime pertinere. Deinde  
nunquid Apostoli in hoc totius fidei autoritatē  
constituebant, ut crederemus dei uerbum uisibili  
bus manibus contrectasse, unde correptus est du  
bius ille discipulus, qui tali uoluit experimēto do  
minum pertemptare? aut quomodo cum eis hu-  
ius gratiæ societatem habere possumus, non ua-  
lentes palpare Christum, sicut illi palpauerunt?  
Quod, inquit, uidimus & audiuimus, adnuncia-  
mus uobis, ut et uos societatem habeatis nobiscum.  
Societas autem cum eis, hinc erit nobis, si crea-  
mus sicut & illi in filium dei, quem secundum di-  
uinitatē fide cordis intellexerunt, & quem secun-  
dum humanitatem corporeis oculis aspexerunt.

Et quoniam omnibus obiectis à te contra Leo-  
nis epistolam capitulis, cōpetenti (ut arbitror) re-  
sponsione occurrimus, & inanum quæstionum  
nebulas, fulgido ueritatis lumine effugauimus:  
nunc & illa uideamus, quæ cōtra Concilium Cal-  
cedonense conuictuosis uocibus antlastis, quo-  
rum refutationem alio ordiemur initio.

Libri Quarti finis.

## ARGUMENTVM LIBRI

Quinti D. Vigilij contra Eutychen.

**S**uperiore libro egregie confutauit quę Eutychiani contra Leonis protulerant epistolam, ultimo libro defensit Calcedonen. Synodi decreta, & diligenter responsa ad aduersariorum calumnias. Et initio severiter castigat ipsorum ingratisudinem & rebellionem quod sanctis patrum sanctionibus impie audeant obstrepere. Hinc quia Synodus receperat quosdam olim synodo exclusos, quod istis factum dolebat, Vigilius ostendit non receptos esse præter scripturæ exemplum. Obijcabant præterea constituta esse in synodo de fide capita noua quorum nulla mentio facta fuisset in Nicena synodo, unde respuenda putabant. At Vigilius dicit religiose nonnunquam innouari & sèpius propter hæreticorum artes noua quædam inducta esse, ut ueritati catholicæ interim nihil decedat. Addebat isti nuspiciam apud ueteres ultimam naturarum Christi factam esse mentionem. Vigilius nero pollicetur se diuersum commonistraturum. Et mox solide & copiose euincit Christum creatum esse secundum veritatem humanae naturæ, aduersarijs ineptum esse putantibus in Christo aliquid esse creatum factumq; confiteri. Postea repetit multa quæ dixerat etiam in superioribus libris. Similibus item docet quod Christi utruncq; propriū est quod habet, sed aliud sit ex natura uerbi & aliud ex natura carnis. Ad hæc congettuit quamplurima scripturæ testimonia ac argumenta solidata ut uel confundere naturas, uel dividere personam Christi. Iam ut promiserat ita ueterum ponit sententias utramq; in Christo naturam confitentes. Postremo cum confusores naturarum maxime niferentur Cyrilli scriptis, componit inter se Vigilius Calcedonen. synodi & S. Cyrilli uerba, ut etiā sic elucescat naturarum Christi proprietas remanens & personæ unitas indiuisa. Ergo sub finē horatur aduersarios deo gloriant, & ab erroribus ad ueritatem transeant orthodoxam.

DIVI VIGILII CON-  
TRA EUTYCHEN,  
Liber Quintus.

**S**CIENS BEATVS APO-  
stolus Paulus profana & noxia le-  
talis doctrinæ instituta posse ueri spe-  
cie obumbrari, & latentibus intrin-  
secus dolis, arguta uerborum super-  
ficie, serpentinæ grassationis uirus obduci, nec fa-  
cile uenenerum poculum, mellis dulcedine obli-  
tum siue permixtum, in ipso primo libantis g-  
stu sentiri atq; discerni, magnum nobis & singu-  
lare indagandæ fraudis indicium dedit, ut ex cu-  
jusq; doctoris morum qualitate doctrinæ synce-  
ritas exploretur. Namq; ut facili & prompta saga  
citatis attentione sceleratæ doctrinæ præstigia de-  
prehendere ualeamus, ipsorum nobis authorum  
uitia probrosis & indignis uoluptatum moribus  
perpetranda depinxit, dicens, In nouissimis tem-  
poribus instabunt tempora periculosa, & erunt  
homines seipso amates, cupidi, superbi, blasphe-  
mi, parentibus nō obedientes, ingrati, scelesti, per-  
fidi, sine fide, sine affectu, criminatores, pacem nō  
custodientes, & cætera. Non est ergo ambiguum  
ex impietate hæreticæ prauitatis descendere, pa-  
rentibus non obedire, eosdemq; falsis criminatio-  
num

num iaculis appetere, hinc enim tales perfidos & sine fide, apostolicus sermo notauit, quod parentibus non solum inobedientes, uerum etiam acerbi eorum criminatores existant. Quae cum ita sint, nulli erit profecto ambiguum, istos haereticos esse, qui sancti, ac uenerabilis Concilij Calcedonensis decreta respuunt atque contemnunt, tantorumque patrum religiosis constitutionibus audaci temeritate resistunt, à fide eos catholica declinas se ore sacrilego criminantes.

Et primo quidem eos de personis nunc de concilio electis, iterumque post temporum interualla receptis accusant, quasi uero non sit Christianum & Apostolicum, eum, qui fortassis ob contentio-  
nis uicum de concilio fuerat electus, debere iterum, ob pacis & concordiae gratiam recipi. Hac enim ratione poterunt & Paulum apostolum accusare, quod dum Ioannem, qui cognominatus est Marcus, de suo comitatu abiecerat, ita, ut nec roganti Barnabæ acquiesceret, pari eum societate in ministerio uerbi asciscere. Quamobrem inter tantes, & tam egregios uiros talis contentio orta est, ut discederent ab inicem. Rursus autem Paulus eundem Marcum, quem dudum abiecerat, receperit, scribens Timotheo, Marcum adsume, & ad ductecum, est enim mihi uilis in ministerium. Ita ergo & illi patres, quos dudum fortassis de Con- cilio ob aliquam noxam eiecerant. (Quoniam Sa-

Eiectos post  
temporū in-  
terualla nō  
impie recipi

## D. VIGILII.

Iomon ait, Eijce cōtentiosum de concilio, & cum eo uadit contentio eius) iterum eos emendatores factos in pacis gratia receperunt. Si tamen ira est, uel uerum est, ut isti petulanti supercilie intendunt.

**De additionibus nouis** Deinde alia noua, q̄ quę Concilio Nicēno statuta fuerant, Calcedonesem synodum decreuisse criminantur. Nescientes regulā & consuetudinē conciliorū catholicorū, sic noua posterioribus concilijs, prout necessitas emergentium hæreticorum exegerit, sancire decreta, ut tamē inuicta maneat quæ dudum antiquioribus Concilijs contra ueteres hæreticos fuerant promulgata. Nam si post Nicēni conciliū statuta nihil amplius licet recipere, qua authoritate spiritum sanctum unius cum patre substantię audeamus adserere, quod ibi constat omnino tacitum fuisse. Et quanquam de conciliorum diuersis sanctionibus & nominum religiose additis nouitatibus, plenissime in eis libris quos aduersus Sabellium, Fotinum & Arium, sub nomine Athanasij, tanquam si presentes cum praesentibus agerent, ubi etiam cognitoris persona uidetur inducta, conscripsimus, à nobis fuerit expressum, tamen & nunc per pauca studio breuitatis inserimus: ex quibus istosclareat nimium imperitos & temerarios esse, qui nesciant multos fidei constitutiones, post Nicēnam synodum, contra nouorum hæreticorum insanas eruptiones, diuersis

versis in locis congregatos episcopos edidisse.

Et primo quidem apud Alexandriam Athanasius, Eusebius, Lucifer per legatum, & aliquantum qui nuper de exilio fuerant reducti, conuenientes quanquam essent numero pauci, sed meritis magni, plenissimam contra Macedonium, de sancti spiritus deitate confessionis regulam conscripserunt, Eiusdē eum, cuius pater est & filius, substantiae demonstrantes. Contra quos ille, sicut & isti faciunt Nicæni concilij authoritate nitebatur, adserens eos à patrum sententijs declinasse, nova, & ut ipse dicebat, impia de spiritu sancto discernendo, quæ ibi constat tradita non fuisse. Quia impieratis præscriptione Apollinaris quoque de incarnationi uerbi pessima interpretatione contra ecclesiastam uitinur. Deinde aduersus sacrilegam impie professionis unitatem, quæ per Ofium, Valentem, Ursarium, & Germinium cæterosque similis prauitatis apud Syrmium fuerant conscripti, uniuersi orientales episcopi conuenientes, alias, id est, duodecim sententiarum definitiones addiderunt, quæ Nicæno concilio non continentur. Item apud Sardicam omnium prouinciarum episcopi congregati, id est, ex urbe Roma, Hispanijs, Gallijs, Italia, Campania, Calabria, Aphrica, Sardinia, Pannonia, Mysia, Dacia, Dardania, altera Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiris, Thracia, Rhodope, Asia, Caria, Bithynia, Hellesponto,

D. V I G I L I I

Phrygia, Pisidia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, altera Phrygia, Pamphylia, Lydia, insulis Cycladi-  
bus, Aegypto, Thebaide, Libya, Galatia, Palestina, et Arabia, Hac(inquiunt) exposuimus fidem:  
in qua reperiuntur septem definitio num capitu-  
la Nicenae expositioni addidisse, quae illi nega-  
bant, contra quos concilium fuerat congregatum,  
Illi uero catholici concilij apud Syrmium con-  
tra Fotinum ex toto Oriente congregati, quis suf-  
ficiat multiplices fidei sanctiones comprehendere,  
quae apud Nicenam synodum, quia talis rei  
necessitas fuerat, nulla non sunt omnino sancta,  
quae nullus fidelium audet respuere, aut cuncta  
tur recipere, si non uult cum Fotino anathema-  
tis corum sententiae subiacere?

Veteres me  
minisse utrius-  
que naturae  
in Christo.

Sed iam illud uideamus, quid isti de duabus  
naturis adferant quæstionis, quarum nusquam  
ab antiquis ecclesiæ tractatoribus facta adserunt  
mentionem, sed à Diodoro & Theodoro & Leo  
ne episcopis uelut nouum dogma fuisse inuen-  
tum, per quod Iudaismi simul & gentilitatis er-  
ror fuerit introductus, dum in Christo aliquid  
esse creatum factumque suadet confiteri. O imperi-  
ti, & omni ueritatis sacramento ignari. Ergo ne  
nusquam antiqui patres duarum in Christo natu-  
tarum faciunt mentionem? Legite o miseri, quid  
Athanasius, Hilarius, Ioannes, & Ambrosius con-  
fessores, quid Theophilus, Gregorius, Basilius,  
Cyrillus

Cyrillus & Augustinus, de duabus naturis edisse  
rant, & tandem ab Apollinaris & Eutychetis deser-  
nire errore, sequentes egregios & clarissimos, &  
in fide catholica totius mundi iudicio probatissi-  
mos viros, quorum sententias necesse nos erit, ubi  
opportunum uiderimus, adnectere.

Nunc illud est diuinis edocendum testimonij,  
& creatum esse Christum secundum ueritatem  
humanæ eius naturæ, & eundem esse in factum  
secundum proprietatem nihilominus diuine eius  
naturæ, secundum quod isti diffinentur propere-  
mus ostendere. Petrus ergo in Actibus Apostola-  
rum ita dicit, Certissime sciat omnis domus Israel,  
quia & dominum illum & Christum deus fecit  
hunc Iesum quem uos crucifixistis. Item Paulus ad  
Roma. De filio, inquit, suo, qui factus est ei ex se-  
mine David secundum carnem. Item ad Galatas,  
Cum autem uenit plenitude temporum, misit deus  
filium suum factum ex muliere. Itē ad Hebreos,  
Considerate Apostolum & pontificem confessio-  
nis nostræ Iesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum.  
Item ibi, Tāto, inquit, melior angelis factus, quan-  
to excellentius præ illis nomen accepit. Et ipse per  
Esaiam filius. Et nunc, inquit, dicit dominus, for-  
mans me ex utero seruum sibi. Per Salomonem  
etiam creatum se hoc modo testatur, Dominus  
creauit me initio uiarum suarum. Quod secun-  
dum humanitatis naturam, quam in temporis ple-

Creatū esse  
Christum.

## D. VIGILII

nitudine suscepturus erat, anticipans præloquus est. Cum ergo clareat Christum creatum uel factum esse secundum id quod homo dignatus est fieri, aut concedite hoc humanæ eius naturæ, aut si concedere non uultis naturam diuinitatis creatam esse adfirmabitis, ac sic uos cum Arrianis uel cum gentilibus conuincimini creaturam uenerari & colere. Item ad destruendam utriusq; naturæ professionem isto quasi ineuitabili gloriantur syllogismo, adserentes non esse naturam, quæ non propriam habeat personam: neq; rursus personam, quæ non propriam habeat naturam. Hoc ideo intendunt, ut quia duas Christum profitentur habere naturas, una autem quæq; natura propriam secundum ipsos constet habere personam, necesse sit, iuxta duarum professionē naturarum, duas Christum habere personas. Nec tamē ex multis aliquibus, ipsis isti docere curauerunt, unam quæq; naturam propriam habere personam, sed tantummodo questiones intendentis transferunt ad hoc ut & ueritati nebulas offunderent, & periculum disputationis silentio præterirent. Sed uidete obsecro, quomodo dum laqueos innectunt inextricabiles, ipsis questionum nodos incurunt. Respondeant igitur Arrianis, quomodo (si una quæq; natura propriam habet personam, & una quæq; persona propriam habet naturam) nō tres sint in trinitate naturæ. Scut & tres demonstrantur

tut esse personæ, ac si tres sunt personæ & una ná  
tura, falsum est quod dicunt, Vnamquæ perso  
nam propriam habere naturam. Nam usq; adeo  
falsum, ut cum homine alia sit natura animæ, alia  
cum corporis, una tamē sit hominis eademq; per  
sona. Vnde necessarium iudico hic paulò latius  
propagare sermonem, nec constricta uti penitus  
breuitate, ut res necessariè aperiandas nequaquam  
ipsa breuitatis angustia inuoluamus.

Superioribus libris sufficienter, quantum op̄i  
nor, de duabus Christi naturis disputantes ostendim⁹  
mus quemadmodum rectis catholicæ professio  
nis lineis Nestorius & Eutyches ad impietatem  
sui dogmatis abutentes, densissimas erroris calig⁹  
nes uniuerso obduxerint orienti. At quia in domi  
no Iesu Christo uerbi & carnis una persona est  
duæq; naturæ per ea quæ negari non possunt, ne  
gandi introducere moliti sunt. Nestorius enim oc  
casione professionis duarum naturarum, duas n̄  
sus est in Christo personas ostendere. Eutyches  
autem unius personæ patrocinio fulcitus, unam  
eandemq; uerbi & carnis delirauit esse naturam,  
& ita uterq; ueritatem religiosæ professionis ad  
impietatem sui traxit erroris: qui si diuino ueren  
tur magisterio, & præuios in suis doctrinis seque  
rentur Apostolos, agnoscerent utiq; & duas in  
una persona, & unam in duabus naturis posse  
esse personam. Siquidem negari non potest, ut su

D. V I G I L I I

perius dixi, hominem ex duabus constare naturis, animæ scilicet & carnis. Nemo tam insipiens & totius rationis expers recte hominem dixerit duas habere personas, aut quia rursus una est hominis persona, recte opinatus sit unam esse carnis animæq; naturam. Non esse autem unius naturæ corpus & animam saluator in euangelio docuit, dicens, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Quid ergo inauditum, quid à scripturis canonicas alie- num & peregrinum, ut sicut credimus & experi- mur unum esse hominem animam rationabilem & carnem: ita credamus unum esse Christum deum & hominem, sicut Apostoli docuerunt, & sicut nobis iuri apostolici tradiderunt.

Dileuntur  
obiecta alia  
aduersario-  
rum Calces  
don. Syn.

Et quia nunc nobis intentio contra eos est maxime, qui errorem unius naturæ sectantes, decreto Concilij Calcedonensis pertinaci obstinatione resistunt, commodum puto ad eorum inanes con- tradiciencias, uitreasq; sententias, ueritatis malo obterendas, de humana filij dei natura, quam in eo modis omnibus negant, pauca repetere, & quam non sint Christiani, & à spe salutis æternæ penitus alieni, demonstrare. Regula est fidei Catholicæ, unum eundemq; dominum Iesum Christum sicut uerum deum, ita uerum hominem confiteri, unum esse ex utroq;, non duos in utrunq;, ipsum sine tempore natum de patre, ipsum ex tempore

tempore natum de uirgine, ita ut utraq; natuitas  
sic unum teneat Christum, ut in nullo sui pertule-  
rit derrimētum, retinens in se quod est sui generis  
proprium, id est, ut & uerbi natura non mutare-  
tur in carne, & carnis natura non fuisset in uerbo  
consumpta. Hinc dominus Iesu Christus idem  
uerus est deus, idem uerus est homo, ex duabus in  
effabiliter uirginali alio unitis in una naturis exi-  
stens, quæ naturæ, quomodo in illa mirabili co-  
unione non sunt in eo abolitæ, ad demonstran-  
dam utrarumq; proprietatis extantiam, in uno se-  
ipso utriusq;. Res locutus est atq; egit, non uoces  
diuidens, non effectus partiens, non gesta secer-  
nens, sed ipse unus in seipso, quæ sibi ex utraq; &  
in utrunc; conueniens, & proprium fuerat lo-  
quens & peragens, & ut quod dicimus planum  
fiat, aliquo utamur exemplo, uerbi gratia. Ego  
ipse sum, qui oculis corporeis album colorem ni-  
grumue discerno, & ego ipse sum rursus qui ma-  
lum iniquitatis & iustitiae bonum mentis obtutu-  
dijudico, nec tamē alius atq; alius ero, quia utru-  
que mihi est ex diuerso. Non enim ipsis oculis ui-  
deo uariari colores, quibus uideo uariari sermo-  
nes, & tamen ego sum ipse qui ex utraq; ago,  
utruq; meum est, non uidere iustitiam nisi oculis  
mentis, & meum est non uocem oculis audire,  
& meum est non uidere lumen auribus, meum est  
non discernere naribus gustum, & meum est

## D. V I G I L I I

palato non percipere odoratum , & cum totum  
meum sit in meipso, id est, uidere, audire, odorari,  
gustare, & tamen aliud est mihi unde uideo, aliud  
unde audio, aliud unde gustum odoresque discer-  
no, & cum sit in me totum quodā priuato iure di-  
uersum atque diuisum, ego tamen ipse diuidi & se-  
parari nō possum. Ita ergo & Christus ipse unus  
atque idem est & creatus & non creatus, habens ini-  
tium, & initio carens, aetate atque intellectu profi-  
ciens, & intelligentia aetatisque augmenta non reci-  
piens, mortem perpetiens, & mortis legibus non  
subiacens, honores ob meritum accipiens & nul-  
lo honore indigens : & cum haec omnia diuersa  
uoces, affectus, & gesta utriusque rei congruentia in  
seipso non diuidi.

Et quia ipsius est utrumque quod habet, sed unum  
illi est ex natura uerbi, quam deus permanens nō  
amisit, & aliud illi est ex natura carnis, quam ho-  
mo factus accepit, adhuc dicamus manifestius  
propter eos qui per imperitiā sensus naturarum  
proprietatē & cōmunionem quemadmodum di-  
catur in Christo nō intelligentes abutuntur & re-  
fugiunt haec nomina. Diuersum est atque alienum,  
initium non habere, & ex initio subsistere : mori,  
& mori nō posse, & tamen sicut ipsi Christo pro-  
prium est utrumque, ita nō ipsi sed in ipso est utrum-  
que cōmune. Si enim dicamus, quia ipsi est com-  
mune,

mune, necesse est ut exigatur à nobis dare et ostendere aliū, cum quo ei sit hoc ipsum commune, quæ professionis necessitas in Nestorij uergit ipsum dogma. Melius igitur & catholice dicimus, In ipso & non ipsi esse commune. Et melius ipsi, & non in ipso dicimus proprium esse. Ergo proprium est illi mori, propter naturam carnis, quæ mortalis est, & proprium est illi non mori, propter naturam uerbi, quæ mori non potest. Item propter ineffabile mysterium unionis utrarumq; naturarum, communis in ipso fuit mortalitas carnis uerbi naturæ, quæ mori non potuit, & communis in ipso est immortalitas uerbi naturæ carnis, quæ morti succubuit. Ergo sicut illi mori & non mori ex utrisq; naturis est proprium, ita commune est in ipso utrisq; naturis, quod illarum est proprium, & ut exēpli gratia dixerim, Proprium mihi est notam liuoris cuiusq; uerberis gestare in corpore meo per naturam carnis meæ, & proprium mihi est hanc eandem notam non gestare in spiritu meo, per naturam animæ meæ. Itē proprium mihi est plagam uerbi, id est, sermonem durum gestare in mente mea per naturam animæ meæ, & proprium mihi est eandem plagam non portare in corpore meo per naturam carnis meæ, & cum sit mihi utruncq; proprium & corpori & animæ meæ, utruncq; alienum, quia nec durum corpus lætumue sermonem intelligit, nec

anima flagelli uulnere liuescit utrumq; tamē com  
mune est in meipso, & animæ & corpori meo,  
quia nec anima extra corpus sit, ad quod ei senti-  
re proprium fuerat sensit, nec corpus extra animæ  
consortium plagarum inditia gestauit, quod ergo  
proprium mihi est in singulis, & alienum est sin-  
gulis, id commune in meipso singulis, quod pro-  
prium est singulis. Et tamen ego ipse unus sum  
in singulis mihi metipsi proprijs.

Demonstra-  
tio quām sit  
impium uel  
confundere  
aut negare  
naturas, uel  
diuidere per  
sonā Christi      Quæ cum ita fint, series nobis diuinarum per  
currentia est literarum, & plurima testimonia con-  
gerenda, quibus demonstretur, quām sit impium  
& sacrilegum ea quæ sunt propria carnis Christi  
ad naturæ uerbi proprietatem referre, & quæ sunt  
propria uerbi proprietati naturæ carnis adscribe-  
re: & quām sit homini impium, ea quæ sunt pro-  
pria carnis, per exceptionem proprietatis aliena-  
re à uerbo, & quæ sunt propria uerbi, eadem ex-  
ceptionis lege alienare à carne, cum sit eis utrumq;  
in Christo commune, & Christus sit utrumq;. Et  
quoniam unius naturæ professores hac sibi con-  
fessione blandiuntur, dicentes, Quid impossibile  
aut inconueniens dignationi filij dei, ut in natu-  
ra diuinitatis suæ, ob nostræ salutis redemptionem,  
quæ uellet indigna & humilia sustinere, per quem  
magis ampliorem nobis ad se diligendum chari-  
tatis excitarer affectum, ea pro nobis in natura  
sua perpetiens, quæ ei probatur esse indigna, exi-  
gendum

gendum ab eis est, cur is qui morte sua peremptus erat mortem, sicut & propheta prædixerat, dicens, Ego mors tua ô mors, si hoc ei possibile fuit, id est in natura sua mori, quid ei opus erat de uirgine nasci? Sed utiq; hoc est admiranda eius benignitas in hoc, magnus ergo in nos pietatis eius demonstratur affectus, ut quia mors eius nobis fuerat necessaria, ipse autem in natura sua mori non poterat, dignatus est naturā nostrā adsumere, in qua pro nobis mori potuisset, quod fuerat necesse. Sed concedamus eis contra totius scripturæ fidem et catholicam ueritatem, ut in natura sua pro nobis mori dignatus sit, quod est omnino impossibile, & omnes humanæ fragilitatis pertulerint passiones, nunquid & honoribus sublimari, & dignitatis profectibus augeri natura eius indigebat, ut humilitatis & obedientiæ ac mortis merito sublimium meritorum tenere fastigium, & postulatam cœli ac terræ merceretur accipere, tanquam qui antea non habuit? An forte negabunt domino Iesu Christo ob meritum passionis & mortis hæc omnia fuisse collata? Legant Apostolum dictem de ipso, Humiliauit seipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & deus illum exaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Et Dauid, De torrente (in)

## D. V I G I L I I

qui) in uia biber, propterea exaltabit caput. De  
torrente in uia, id est, de fluvio mortis humanæ  
biber, propterea exaltauit caput, quia mortem gu-  
stauit Et ipse in Euangelio, Propterea (inquit) dili-  
git me pater meus, quoniam animam meam po-  
no pro ouibus meis. Quid igitur uobis uidetur?  
Natura uerbi uel uacua magnitudinis & gloriae  
honoribus fuit, aut imperfectæ aut exiguae dile-  
ctionis apud patrem in æternitate manebat, & id  
circo talia subire quæsiuit, per quæ acceptior &  
honorabilior esset, atq; excellentioris mentis emi-  
neret. Exaltauit, inquit, eum, & donauit illi nomen  
quod est super omne nomen. Ergo uerbum  
ad illud usq; tempus nō habuit nomen quod est  
super omne nomen, sed meruit operibus quod na-  
tura non habuit. Item ad Hebreos, Tanto, inquit,  
melior angelis factus, quanto excellentius no-  
men præ illis accepit. Quis in tantam imperatis  
uoraginem proruat? Quis eousq; amentiae nube  
cæcatus in id decidat, ut opinetur Christum secun-  
dum diuiniratis naturam meliorem angelis fa-  
ctum? Neg; enim angelis diuina potest eius con-  
ferri aut comparari natura, quorum quasi colla-  
tione reperiatur excellentior. Atq; melior, cum sit  
omnibus naturis incomparabiliter præstantior.  
Sed & quod ait, Melior angelis factus, posterius  
uult intelligi, id quod melius præcedentium rela-  
tione factum est: quod quid aliud erit nisi huma-  
na eius

na eius natura? Nomen quoq; eum melius accepisse describit: quod omnino diuinam eius non potest referre naturam. Quis enim naturæ trinitatis superior & melior potuit inueniri, qui ei melius angelis nomen & daret & imponeret? quoniam meliorum est inferioribus nomina imperti re. Quis ergo non uideat hæc in dei filio naturæ carnis eius congruere, secundum quam & exaltatus est, & honoratus, & coronatus, & melioris nominis dignitatē adeptus est, is qui secundum naturam uerbi horum nihil eguit aliquando?

Persequamur ergo omnes adhuc beatitudinis eius munera passionis eius merito acquisita, quibus luce clarius apparebit nō posse ei secundum quod natura deus est, sed secundum quod naturali homo factus est conuenire. Dicit ergo Esaias propheta, Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen perlóngænum, & uoluntas domini in manu eius dirigeret, pro eo quod laborauit anima eius. Videbit & saturabitur: in scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniurias eorum ipse portabit. Propterea ipse posidebit multos, & fortium ipse diuidet spolia, pro eo quod tradidit in morte animam suam, & cum sceleratis deputatus est, & peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. Vide quanta eum ob meritum passionis adeptum propheticus sermo describit. Videbit, inquit, semen longæ-

## D. VIGILII.

uum, uidebit lucem & saturabitur scientia, possi-  
debit multos, & fortium diuidet spolia. Quæ om-  
nia ei secundum naturam uerbi non conuenire  
puto, quod superfluum sit demonstrare, cum se  
ipsa rerum euidentia manifestet. Item quod pote-  
statem cœli & terræ, & hæreditatem gentium, &  
subiectionem uniuersorum ex tempore acce-  
rit, & ipse de ipso in euangelijs, & prophetæ lo-  
quuntur. Nunquid ergo potestatem & domi-  
nium creaturæ suæ, utpote omnium conditor,  
non habebat, ut temporibus nouissimis hæc om-  
nia munera gratia potiretur? Dicit ergo post re-  
surrectionem suam, Data est mihi omnis pote-  
stas in cœlo & in terra: quam potestatem olim pa-  
ter promiserat, dicens, Postula à me, & dabo tibi  
gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam  
terminos terræ. Quam petitionem filij, & largi-  
tionem patris, tempore passionis expletam fuisse  
propheta Esaias testatur ex persona patris nun-  
ciantis sic dices, In tempore placito exaudiui te, &  
in die salutis auxiliatus sum tibi, & plasmaui te,  
& dedi te in testamentum gentium, ut constitue-  
res terras, & possideres hæreditates desertas, dice-  
resq; his, qui in uinculis sunt, exite, & qui in tene-  
bris, reuelamini. Item ipse filius in eodem pro-  
pheta, Et nunc dicit dominus formans me ex ute-  
ro seruu mibi, ut reducam Iacob ad eum, & glo-  
rificatus sum in oculis domini, & deus factus est  
fortitudo

fortitudo mea. Et dixit, Parum est ut sis mihi ser-  
uus ad suscitandas tribus Iacob, & dispersiones  
Israel congreges, ecce posui te in lucem genium,  
ut sis salus usq; ad extremum terræ. Quis ira stoli-  
dus & mentis erit alienus, ut non uideat, non in-  
telligat formari ex utero, et mereri seruum fieri, et  
tempore opportuno exaudiri atq; auxilium spe-  
ctare paternum, & confortari in domino, & pos-  
sessionem terrarum ex tempore accipere, ad na-  
turam carnis Christi proprie pertinere? Adhuc au-  
tem si otiosum non est pauca proferimus, quæ  
penitus ad diuinitatis eius non possunt referri na-  
turam. Sic igitur de eo pater per Esaiam loquitur,  
Ecce seruus meus, suscipiā eum, & electus meus,  
complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum  
meum super eum iudicium gentibus proferri.  
Ipse quoq; de seipso similiter, Spiritus, inquit, do-  
minis super me, propter quod unxit me, euangeli-  
zare pauperibus misit me. Et David eidem, Pro-  
pterea, inquit, unxit te deus deus tuus oleo exul-  
tationis præ consortibus tuis. Et ex persona pa-  
tri, Posui adiutorium super potentem, & exalta-  
ui electum de populo meo. Et Petrus de ipso, La-  
pidem, inquit, ab hominibus reprobatum, à deo  
autem electum & preciosum. Nunquid dei fi-  
lius ex ea natura qua deus est, & non ex illa po-  
tius qua homo factus est, electus poterit appella-  
ti, ut inde natura diuinitatis eligeretur, quæ una

D. V I G I L I I

est, & quæ in pluribus non potest deputari? Dicit enim ecclesia in Canto Canticorum, Fratris meus electus de pluribus. Et pater, Exaltavi electum de populo meo. Dicite igitur o uos unius naturæ professores, cum una sit dei natura, quomodo uel unde dicatur electa? Quis illa superior potuit eam de pluribus eligere? An forte ipsa de medio populi sese elegit? Et quanquam nemo seipsum eligat, cum aperie huius electionis à deo facta esse dicatur, tametsi ipsa nouissimis temporibus elegit, in omni illo superiori tempore incerta fuit & incognita, populi & sociorum confusione permixta, de quorum consortio eligi, & sancto spiritu ungi meruit. Quia David ait, Vnxit te præ consortibus tuis. Eligitur ergo, & ungitur, & super se habet spiritum sanctum diuina natura? Dedi, inquit, spiritum meum super eum. Et ipse filius, Spiritus, inquit, domini super me, propter quod unxit me. Et quomodo æqualis est filio spiritus sanctus, cum super eum esse describatur? Dicit autem de ipso Esaias, Et res quietescet super eum spiritus domini, & implebit eum spiritus sapientiae. Et Lucas in euangelio, Puer autem crescebat & confortabatur & impletus batur sapientia. Unde manifestum est filium dei non secundum naturam uerbi eligi de pluribus, aut confortari, aut impleri sapientia. Non enim natura uerbi est confortari, cum ipsa sit uirtus: nec

nec crescendi augmenta suscipere, cum perfecta sit in seipsa: nec sapientia impleri, cum ipsa impleat omnia: nec eius eligi, cum ipsa magis eligit, & unde eligatur non habeat. Quia ergo uerbi naturae ista non conueniunt in Christo, carnis eius congruant necesse est, secundum quam iure dicitur seruus electus, iure confortatus, iure sapientia impletus, iure creuiste, iure spiritum sanctum super se habere.

Quod ut adhuc euidentius clareat pauca subiectemus. Dicit de ipso Esaias, Priusquam sciat puer respuere malum, & eligere bonum: antequam cognoscat puer uocare patrem aut matrem, accipiet uitutem Damasci, & spolia Samariae. Nunquid naturam uerbi tantæ audemus ignorantiæ subiçere? cui nec præterita, nec futura habentur occulta. Et iterum Lucas, Iesus autem proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud eum & homines. Si uerbi in eo proficiebat natura, ergo mutabilis facta est per profectum. Quod enim proficit, mutatur in melius. De potestate quoque & gloria regni, & iudicij auctoritate quam ex tempore ob meritum passionis, secundum naturam carnis accepit, breuiter aliqua dicamus. Gabriel in euangelio ita de ipso dicit, Et dabit illi dominus deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis. Ad Dauid quoq; ista sunt uerba patris

## D. VI GILII

de ipso, De fructu uentris tui ponam super se-  
dem tuam. Item, Et ponam in sæculum sæculi se-  
dem eius, & thronum eius sicut dies cœli, & pri-  
mogenitum ponam illum excelsum præ regibus  
terræ. Item, Manus enim mea auxiliabitur ei, &  
brachium meum confortabit eum. Et ponam in  
mari manum eius, & in fluminibus dexteram  
eius, & dominabitur à mari usq; ad mare, & à flu-  
mine usq; ad terminos orbis terræ. Et David de  
ipso ad patrem, Gloria & honore coronasti eum,  
& constituisti eum super opera manuum tua-  
rum. Omnia subicisti sub pedibus eius. Item, Po-  
suisti super caput eius coronam de lapide precio-  
so. Vitam petiit, & dedisti ei longitudinem die-  
rum in sæculum sæculi. Iuxta illud Efaiæ, Si tra-  
diderit in mortem animam suam, uidebit semen  
longæuum. Item, Propter ueritatem & mansue-  
tudinem & iustitiam procede & regna. Et Da-  
niel, Ipsí datus est principatus, honor, regnum.  
Quæ omnia cur acceperit non tacetur. Nam ipse  
meritum tantæ dignitatis acceptæ demonstrans,  
ait, Vincenti & seruanti opera mea, dabo potesta-  
tem super gentes, & reger eas in uirga ferrea, sicut  
& ego accepi à patre meo. Item, Qui uicerit dabo  
ei sedere mecum in sede mea, sicut et ego uici, & se-  
di cum patre meo in sede ipsius. Cui uictoriæ om-  
nis cœlorum exercitus atestatur, dicens, Dignus  
est agnus qui occisus est accipere gloriam, & ho-  
norem

norem, & sapientiam, & fortitudinem, & potestatem. Hæc de regni gloria & potestate, quam ex tempore ob meritum passionis dei filius secundum naturam carnis suæ accepit. Cum secundum uerbi naturam nihil eguit.

Multo breuius dicamus, quanquam in sede regni non aliud, quam iudicis authoritas demonstraretur. Propheta ergo sic de ipso ad patrem loquitur, Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Et ipse, Cum accepero tempus ego iusticias iudicabo. Et in euangelio, Et potestem, inquit, dedit ei, & iudicium faciendi, quoniam filius hominis est. Horum sacrorum eloquiorum meliorem interpretem, quam ipsum dominum non inuenimus, qui nobis tantorum hominum sibi met collatorum causas & meritum ualeat referare. Cesset omnis humanæ argumentationis calliditas, nec se audeat imperita peritia ultra modum diuinæ expositionis extendere. Ipse dei filius sacro diuinitatis ore perdoceat, cur uel secundum quod tantis à patre sublimatus honoribus, qui sic incarnatus homo factus est, ut in id quod erat immutabiliter permanens, nihil eorum amitteret, quæ prius habebat. Dicat ergo cur ex tempore potestatem acceperit, qui semper habebat? Et potestatem, inquit, dedit ei & iudicium faciendi, quoniam filius hominis est. Quid igitur domine Iesu Christe, alius & alius nobis ap-

## D. V I G I L I I

parebis, cum nos te unum eundemque filium dei  
& filium hominis fateamur? Cur itaque non dixi-  
sti, Et potestatem dedit ei, quoniam filius dei es?  
Vnus, inquit, & idem sum, nec diuidi possum:  
sed quare uel unde acceperim, quod semper ha-  
bui, uolui demonstrare. Secundum naturam enim,  
qua deus uerbum sum, nihil egui, nihil accepi,  
quoniam filius dei sum, & honoratus sum: se-  
cundum naturam autem carnis, qua deus uer-  
bum incarnatus homo factus sum, & egui, & ac-  
cepi, quoniam filius hominis sum & ad hoc na-  
tus sum.

Et quanquam hæc suffecerint, pro sui firmita-  
te roboris, ad demonstrationem in Christo utri-  
usque naturæ, tamen ut magis magisque ueritatis  
claritas elucescat liber etiam illum Apostoli trac-  
ta re sermonem, quo pro nobis Christum media-  
torem adserit factum: quod officium, nisi ex ue-  
ritate naturæ carnis, quam ex nobis habuit, im-  
plerem pō potuit. Quoniam per ipsam inter deum  
& homines medius apparuit. Et quia, ut Aposto-  
lus ait, & rerum ueritas docet, mediator non est  
unius: habens autem Christus secundum uos  
unam naturam, ostendite unde sit medius inter  
nos & illum? Quia si, ut impie sapitis, una est eius  
natura mediatoris: in eo quod est unum & singu-  
lare salutis nostræ remedium, frustrabitur sacra-  
mentum. Vnde enim medius erit, si utramque non  
habuerit?

habuerit? Quia nisi talem dederis inter deum & homines, qui ita sit medius, ut ex utroq; utrungq; sit, id est, ut & deus sit propter diuinitatis, & idem homo sit propter humanitatis naturam, humana diuinis quemadmodum reconcilientur nō ostendis. Nam quia transgressione mandati inimici dei extiteramus, & in contrarium animis discordibus uergebamus, à supernis declinantes, & ad imarentes, necesse fuerat interuentu miserationis diuinæ, solutis inimicitijs, contraria in unum reuocari, & supernis imo restituiri: quod non aliter fieri potuit, nisi talis mediator existeret, qui de cœlestibus ueniens couniretur terrenis, retinens in se id quod non erat, unus fieret in utroque: & ita per utriusq; naturæ cœunctionem in una eademq; persona, & humana diuinis, & diuina sociaret humanis, prius utrungq;, sine utriusq; abolitione, uniens in seipso, dein omnes fideles patri reconcilians deo. Et quia reconciliationis sacramentum immaculatum flagitabat sacrificium, talis hostia requirenda fuerat, quæ ita media esset inter deum & homines, ut & morti succumberet per illud quod homines habebat, & mortem reuinceret per id quod in se diuinitatis tenebat. Unus igitur est ante incarnationem uerbi deus, & qui in humanitate mansit, in qua erat & erit. Non discernendo igitur, unum dominum Christum in hominē seorsim, & seorsim in deum, sed

## D. VIGILII

unum eundemq; Iesum Christum esse dicimus,  
non ignorantes differentias naturarum, sed eas  
inconfuse inter se se seruantes.

Veterū sens-  
tentia de u-  
traque in  
Christo na-  
tura.  
  
Hilarius.  
  
Et quoniam isti uriusq; naturæ profissionem  
nquam esse calumniantur, cunctos ecclesiæ tra-  
ctatores in medium deducamus, ex quorum mul-  
tiplicibus dictis pauca & brevia excerpentes,  
huic operi subnectimus, ad latiores scorsum, &  
diffusiores de hac confessione tractatus, quos be-  
atissimus Leo in unum testimoniorum cumulum,  
prouida diligentia congregavit, studiosos quoque  
imitantes : & ut nobis duplex in tantorum & ta-  
lium testimoniis productione nascatur utilitas, co-  
rum sententias Leonis sensibus coaptamus. Dis-  
xit Leo, quod maxime isti reprehendendum exi-  
stunt, Operatur unaquæq; natura cum com-  
munione alterius quod proprium. Hoc & Hila-  
rius confessor in libro uno contra Arrianos, Na-  
tus ergo unigenitus deus ex virginie homo secun-  
dum plenitudinem temporum, in semetipso pro-  
fecturus in deum hominem. Hunc per omnia  
euangelici sermonis modum tenuit, ut se dei fi-  
lium credi doceret, ut hominis filium prædicaret  
admoneret, locutus & gerens uniuersa quæ dei  
sunt, loquens deinde & gerens uniuersa quæ ho-  
minis sunt, ita tamen, ut ipso illo utrius generis  
sermonem nunquam nisi cum significatione &  
hominis

hominis loquutus & dei sit. Ecce aperte communionem utrarumq; docens naturarum, & uerbum dixit loqui & agere quæ carnis sunt, & carnem quæ uerbi sunt. Cui sententiae & beatus quoq; congruens Ambrosius ita dicit, Consors <sup>D. Ambros.</sup> utriusq; naturæ, id est, humanæ atq; diuinæ, in natura hominis subiit passionem, ut indiscrete & dominus maiestatis dicatur esse qui passus est, & filius hominis, sicut scriptum est, qui descendit de celo. Perspicuo enim is & communionem operis, & proprietatem utriusque naturæ descriptum & caro propter uerbum de celo descendisse, & uerbum propter carnem mortem subiisse diuina testantur eloquia, cum nec caro de celo descendenter, nec uerbum mori potuerit.

Item dixit Leo, Esurire, sitiare, lassescere, atq; dormire euidenter humanum est, & non est eiusdem naturæ flere miserationis affectu amicum mortuum, & eundem ad uocis imperium extirpare rediuiuum. Hoc & beatus Gregorius Nazarenus episcopus adseruit, dicens, Cum ergo processisset ex uirgine deus, in ea quam adsumpsierat humana natura, unum ē duobus in unicem contrarijs existens, aliud in deum adsumitur, aliud deitatis gratia præstat. Missus est quidem, sed ut homo, duplex enim erat in eo natura: inde deniq; & laborauit ex itinere, inde esuriit & siti-

## D. V I G I L I I

uit, & contristatus est, & fleuit humani corporis lege.

Item dixit Leo, Natura inuiolabilis natura est unita passibilis, ut quod nostris remedij congruebat unus atque idem mediator dei & hominum homo Iesus Christus & mori posset ex uno & non mori posset ex altero, & non est uerbi naturae clavis affigi potuisse. Hoc & beatus Cyrilus in epistola tertia synodi ad Nestorium, In ipsa, inquit, uulna uteroq; uirginali sese uerbum cum carne coniunxit, & sustinuit generationem carnalem carnis suæ nativitatem suam faciens. Scilicet dicimus & passum esse & resurrexisse, non quia deus uerbum in sua natura passus sit, aut plagas, aut clavorum confixiones, aut alia similia uulnera: deus namq; incorporalis extra passum est: sed quia corpus illud quod ipsius proprium factum est passum est, ideo hęc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo corpore quod patiebatur, deus, qui pari non poterat. Simili modo & mortem ipsius intelligimus. Immortale enim incorruptibile est naturaliter uiuificans dei uerbum, sed quia corpus ipsius proprium dei gratia, iuxta Pauli uocem, pro omnibus mortem gustauit, idcirco ipse dicitur mortem gustasse pro nobis, non quod ipse mortem esset expertus quantum ad ipsius naturam pertinet: insania est enim hoc sentire uel dicere: sed quod, ut supra

Supra diximus, caro ipsius mortem gustauit. Item & resurgentे carne eius resurrectionem dicimus: non quia in corruptionem ceciderat, absit, sed quia eius resurrexit corpus. Ita Christum unum & deum confitemur, non tanquam hominem cum uerbo coadorantes, ne diuisionis quædam species inducatur, sed unum iam eundem adorantes. Hoc & beatus Hilarius paucis explicat uerbis, Vidēsne (inquit) deum & hominem ita prædicari, ut mors homini, deo uero carnis excitatio deputetur, naturam dei in uirtute resurrectionis intellige, dispensationem hominis in morte cognosce, & cum sint utraq; utrisque gesta naturis, unum tamen Iesum eum memento esse qui utrumque est.

D. Hilarius  
Et quia perspicue, quantum opinor, claruit beati Leonis epistolam, cum Cyrilli synodis congruere literis, quid etiam cæteri ecclesiæ tractatores de utrisq; naturis Christi senserint, breui ter intimemus. Sanctus Ioannes in Omelia de Chrysost. ascensione domini ita dicit, Deus nobis iuste irascitur, & nos contemnebamus, iratum & clementem dominum declinabamus, & se medium Christus ingessit, & sociauit utramque, & nobis quod imminebat supplicium ipse sustinuit. Item, Cognoscamus igitur quæ natura est cui dixit, Se de ad dexteram meam, & esto meæ particeps sedis, illa nimirum natura quæ audierat, Terra es,

## D. VIGILI

August.

& in terram ibis. Hoc & Augustinus sentiens  
Gratulandum (inquit) fuerat humanæ naturæ  
eo quod sic adsumpta est à deo uerbo, ut morta-  
lis constitueretur in cœlo, atq; ita fieret terra subli-  
mis, ut incorruptibilis puluis federet ad dexteram  
patris. Item beatus Basilius Cæsareç Cappadociç  
episcopus, Cum ergo quædam in Christo ita ui-  
debamus humana, ut nihil à communi morta-  
lium fragilitate distare uideantur, quædam ita di-  
uina, quæ nulli alio quam ineffabili naturæ con-  
ueniant diuinitatis, hæret humani intellectus an-  
gustia, & tantæ admirationis stupore percusa,  
quod declinet, quid teneat, quod se conuertat igno-  
rat. Si hominem putet, deuicto mortis regno cum  
spolijs redeuntem à mortuis cernit, propter quod  
cum omni meu & reuerentia contemplandum  
est, ut in uno eodemq; ita utriusq; naturæ ueritas  
demonstretur, ut neq; aliquid indignum & inde-  
cens in diuina illa & ineffabili substantia sentia-  
tur, neq; rursus quæ gesta sunt, falsis illusa ima-  
ginibus existimentur. Qua hinc exitur, quo rur-  
sus euaditur, quibus commentis, quibus argu-  
mentorum præstigijs tantæ potest authoritas ue-  
ritatis obumbrari. Ita omnes ecclesiastici tractato-  
res, in utriusq; naturæ proprietate consentiunt, ut  
in uno eodemq; Christo nihil indignum nihil  
falsum existimetur. Nihil indignum, ne filium  
dei deum dominum Christum secundum diuini-

Basilius epi-  
scopus.

cauſ

tatis suæ naturam credamus morti subiacuisse. Nihil falsum, ut eundem secundum carnis suæ naturam credamus mortuum esse, ut quia uere mortuus est dignitatis sit naturæ uerbi honorem dare immortalitatis & naturæ carnis ueritatem adscribere morit' ita ut utruncq; unius eiusdem sit Christi, id est, & mori & non mori, mori secundum naturam carnis suę, & non mori secundum naturam diuinitatis suę.

Sed iam ultimum decreti capitulum uideamus ex Decreto synodi Calcedonensis. Vnum eundeq; Christum dominum unigenitum (cōfitemur) in duabus naturis inconfuse inconfueribiliter indissimiliter inseparabiliter cognoscēdum, nusquam duas naturarum diversitate euacuata propter unionem, salua magis proprietate utriusque naturæ, in unam personam atq; substantiam conuenientibus, non ut in duas personas diuisum aut segregatum, sed unum eundemq; unigenitum filium deum uerbum dominum Iesum Christum. In hoc Capitulo hoc eis displicet, cur dixerint, Salua proprietate utriusq; naturæ: uel, Non euacuata naturarum differentia: quę ut firma esse perdoceant consueta uerborum prolixitatē & inanitatem adsertione utentes, multa de Cyrilli capitulis interponunt testimonia, quibus ille non duas in Christo negat naturas, sed unam docet esse per-

## D. VIGILII

Cyrillum et sonam. Ne igitur soli eos nostra disputatione futemus, Cyrilli etiam nos uerba ponamus, ut synod. cons. gruere. quomodo Cyrillo teste nituntur, Cyrillo teste uincantur. Ex synodicis Cyrilli ad Nestorium litteris hæc sunt, Non enim dicimus (inquit) quod diuina natura conuersa uel immutata facta sit caro, nec quod in totum hominem, quod ex anima est & corpore, transformata sit, sed illud magis quod carnem animatam rationabile sibi copula uerit uerbum substantialiter ineffabiliter & indeprehensibiliter factus sit homo, & nuncupatus sit etiam filius hominis: non nudæ tantummodo uoluntatis, sed nec adsumptione sola personæ, sed quod diuersæ & quodammodo naturæ in unum conuenerint. Unus tamen ex ambabus Christus & filius, non euacuata aut sublata diuersitate naturarum, per coniunctionem, sed quia simul nobis effecerunt unum dominum & Christum & filium, id est, diuinitas & humanitas, per arcanam illam ineffabilemque copulationem ad unitatem. Quid hoc manifestius, quid clarius ad consonantiam synodici Decreti Calcedonensis ex literis Cyrilli potuit demonstrari? Ecce nec dicta dictis, nec sententiæ sententijs aduersantur, sed sicut uno fidei sensu, ita iisdem penè usi sunt uerbis. (Dixit sancta synodus.) Nusquam duarum naturarum diuersitate euacuatā. (Dixit beatus Cy-

tus Cyrillus.) Non euacuata aut sublata diuersitate naturarum per coniunctionem. (Dixit sancta synodus.) Vtiusque naturis in una persona conuenientibus. (Dixit beatus Cyrillus.) Non nudæ tantummodo uoluntatis sed nec adsumptione sola personæ, sed quod diuersæ quodammodo naturæ in unum conuenerint. (Dixit sancta synodus.) Non in duas personas diuisum, sed unum eundemq; Christum. (Dixit beatus Cyrillus.) Vnus tamen ex ambabus, id est naturis Christus filius. Et iterum, Sed quia simul nobis effecerunt unum dominum Christum & filium, id est, diuinitas & humanitas.


Et quia perspicua, ut reor, & clarissima ueritatis luce cæteræ falsitatis effugatæ sunt tenebræ, ac ruinosum praui dogmatis ædificium, quod contra Leonis epistolam & Calcedonense Concilium, cassis perfidiæ nisibus erigebatur, ualido catholicorum testium impetu exagitatum irreparabiliter cecidit, demus deo gloriam & honorem, cuius munere uel dono uictoria conceditur & falsitas superatur. Si quid sanè in his opusculis defensionum, minus à nobis, haud secus quam oportuit, dictum est, ueniam postulamus. Aut enim uerborum nobis copia defecit, ut id quod sentieramus exprimere ne requiremus: aut quæ sentienda fuerant exilitate ingenij & mentis infirmitas


109 fol 25


D. VIGILII LIB. V.

te sentire non valuimus: sed si opere displaceamus,  
saltem studio placeamus. Sit acceptum uoluisti,  
si displicet non potuisse nostrum.

Divi Vigili contra Eutychen  
Finis.







OCN 63824488